


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [1] - -

[C 9685] leibn. Marg. 162 4


S. 20. 115

Niedersächsische Landesbibliothek Hannover



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [3] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [4] - -

MARTINI

SCHOOCKII

Fabula Hamelensis, sive Disquisitio Historica, quâ ostenditur fabulis accenseri debere, quod refertur de infausto exitu puerorum Hamelensium, qui inciderit in annum à CHRISTO nato 1282.

Præmissa est dissertatio Generalis de judicio circa historicas narrationes instituendo: atq; in examine fabulæ, distinctè respondetur Dn. M. Samuelis Erichii libello qui inscribitur Exodus Hamelensis.

HANNOVERÆ,
Typis & Sumptib. Georgi Friderici Grimmij
ANNO 1662.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [5] - -

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [6] - -

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Strenuiſſimoq;
Viro
Dn. Dn. PHILIPPO ERNESTO,
Vegelin de Clarbergen,
Celſiſſimi Principis
GUILIELMI FRIDERICI,
Principis Naſſoviæ &c. Gubernatoris ac Capitanei Generalis Friſiæ, Groningæ, Ommelandiæ, Drentiæ &c.
Aulæ-Præfecto, ac Conſiliario meritiſſimo,
Cohortis militaris Centurioni &c.
Martinus Schoockius
Salutem ac proſperitatem à Deo P.

Nobiliſſime & Ampliſſime Vir, Domine atq; Fautor plurimum colende.

Cui dono illepidum meum libellum,
Burras, quisquilias, ineptiasque?
Nulli quàm Tibi. namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas.

ET v. eorum quæ te impulſore, adjutore atq; monitore auſus ſum, quem alium potius auctorem laudem? Tu Viro Reverendo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [7] - 3

Guilielmo Hatzfeldio, Paſtori Eccleſiæ Groninganæ vigilantiſſimo, atq; extra Theologiam ſuam in variis diſciplinis verſatiſſimo, amico communi primitus exhibuiſti *libellum M. Erichi de Exitu Hamelenſi*, atq; per eum mihi: contra quem cùm quid conari cœpiſſem, atq; non auderem progredi, veritus petulantis ſeculi ronchos, paratos iis, qui veteres avias de pulmone refellere aggrediuntur, ut cum Satyro loquar, animum addidiſti, ut pergerem in gratiam veritatis, quæ hiſtoriæ anima eſt. Fateor, numerium hunc fœtum dignum non eſſe qui tollatur; & quanquam apud Lectores me excuſare poſſem illo Epicuri, qui dicere ſolet, *Nunquam niſi occaſione data proſiliendum.* Haud æque tamen me excuſarim, quòd tibi tumultuaria hæc atq; minus compoſita ingeni ſeruta offerre ſuſtineam; cùm exaſciata magis virtus & eruditio tua mereantur, atq; aceipere conſueverint, ab iis, qui te meritiſſimum Muſarum ſuarum patronum jamdiu delegerunt. Quod reſpondeam non occurrit, præter illud Græculi ad Auguſtum: εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. Si annuerit è cœlo Deus, offeretur, ut ſpero, occaſio, quâ repræſentare illa queam, quorum hoc tempore arrhabonem duntaxat depono.

Ut

Ut in laudes tuas exſpatier, nec meus fert mos, nec tua modeſtia patitur. Quâ fide, prudentiâ & diligentiâ Celſiſſimi Tui Principis à multis annis negotia cures, publicè notum eſt. Quod verò maximè admirandum, inter aulæ concatenatas curas, negotiorumq; catervos, Muſis litare non deſinis, modò ruſpando Naturæ arcana, de illisq; aliorum judicia inquirendo, ut tuum, quod circumſpectum & limatum ſemper ſolet eſſe, deprome re poſſis; modò ad eruditum pulverem deflectendo, atq; circino & regulâ deſcribendo ductus, qui non tàm menti exercendæ ſerviant, quàm publicæ ſaluti, ejuſq; hoſtibus incommodandis. Plura non addo, ne videatur auribus quid dare voluiſſe. Quod reliquum, vale, ſtudiorum publicorum multis modis afflictorum, columen; ſerenaq; fronte ſuſcipiendo hoc opuſculum (quod haud ſecus oblatum venio, atq; pueri Elephanto ſtipem ſolent) ſi merear, conatibus meis favere perge. Dabam Groningæ d. 22. Septembris anno ſemporis ultimi 1659.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [9] - 5

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

TV quoq; Benivole Lector, mihi compellandus es, & de quibusdam monendus, ne obelum ante depromas, quàm hocce schedium, quod nimis diu sub prælo excarnificatum fuit, jugulare instituas. A te nihil amplius efflagito, quam ut illud legas prius, quàm condemnes. Optimi libri submoventur, eò quòd à nullo attentè fuerint lecti cùm vice versa scripta vernilia, invectivæ acres, imò chartæ in Deum blasphemæ, non modò æstimentur, sed sæpius recudantur, eò quòd legantur, lectorisq;, dum hoc agit, velut consiliarii adsint, innata vitia. Et tamen illa piè vivere, & capessere volenti Rempubl. ejusq; in luce & honoribus versari, tàm usui sæpè sunt quàm Myrmecidis quadrigæ & naves, terrâ marisq; Circenses. Absit interim, ut hæc pro commendandis meis scriptis dixerim. quàm multa in illis desiderentur, ego unus maximè scio; Exponere saltem cupio, quid egerim. Circa argumentum nimis quàm sterile occupatus fuisse videbor, atq; lenti (ut vetus verbum habet) unguentum affudisse. Sed an ergò leve videtur, errantem in viam reducere, atq; mendacium, quod errores plurimos peperit, detexisse? Non audio quoq;

quoq; illos, qui fortè censebunt, Autorem cum suo libello Germanico contemnendum fuisse. At non gero me pro aquila, qui ad captandas muscas nunquam descendere solet. Sub tunica vili sæpè delitescit sapiens, cùm purpura tegas turpissimi Vatinii strumas. Certe Dn. M. Samuel Erichius dextrè & diligenter argumentum, quod delegerat, tractavit, omniaq; quæ pro vulgi Hamelensis opinione adduci possent, non minus judiciosè quam laboriosè congessit. Quo meam sententiam rationibus justis statuminatam, ejusdem opinioni, quæ communis hactenus fuit, opponere possem, generalem dissertationem præmittere volui, in qua quid præstiterim, judicent qui nasum habent. Et tamen prævideo plurimos eum crispaturos esse, interim digitum non verto. Si ringantur Critici hujus seculi (qui Reges se esse putant, quando aut veculam in Plauto, Seneca & Gellio restituerunt, aut ex suis laboriosis indicibus plaustra citationum adduxerunt, ad astruenda illa quæ nemo ignoravit, antequàm Theognis nasceretur) quod congerendis exemplis immoratus fuerim fusiusq; deduxerim, quæ pressiùs proponi debuissent, ius hoc solum respondebo, quod crises non aspersæ rerum varietate, (jocari liceat) mihi videantur oves minæ, ventre glabro, sine lanâ. Si ipsis aliud videatur,

iceat saltem huic pedaneo Senatori, à tantis scilicet Heroibus in alia omnia discedere. Non nemo movebitur fortè quod pag. historiam de Papissâ Iohannâ fabulis accensere instituerim. Ne quam offensam exhiberem, monentibus Celeberrimis Dominis Collegis, exemi hasce pagellas substitutis aliis, cùm pars Generalis hujus Tractatus discutienda esset. Interea prodiit scriptum diu promissum summi Viri, atq; nunc ἐν τοῖς ἁγίοις Dn. Blondelli, & plura alia. Si quis, omnia diligentissimè expendi & contuli, componendo argumenta cum argumentis; cæterum nondum à me impetrare possum, nisi conscientiæ vim facere velim, ut à sententiâ, quam hîc propono, recedam. Verbum est Apostoli 2. Cor. 13,8. Non possumus quicquam adversus veritatem, sed pro veritate. Antehac fui in contrariâ opinione, quam tamen tempestivè exui. Siquidem jam anno 1634. ut in Academia Vltrajectina sub D. Voëtio sustinui Theses de Indulgentiis, ita iisdem subjunxi hoc Corollarium, ex ordine quartum: Papissam Iohannam fuisse, si non historica nostrorum, saltem Papistarum fide credi debet. Manifestò distinguendo inter fidem historicam consideratam à parte Pontificiorum & à parte orthodoxorum. Illi, cùm omnia aliàs deferre soliti sint suis historicis, qui

hoc

hoc de Papissa retulerunt, aut per omnia suspectare debent eorum fidem, maximè circa miracula, aliasq; de sanctis narrationes, minus verisimiles, aut simul credere, in Cathedra quasi Petri meretricem sedisse. Posteà anno 35. hujus seculi prodiit spissum volumen Egberti Grimmii, Theologi in Schola Vesaliensi de hac materia. Cæterùm licet Autor quàm operosè hoc agat, omnesq; scrupulos eximere laboret, meum tamen applausum consequi non potuit. Multò minus me commovere potuerunt, quæ tùm ipse, tùm alii referunt de sede stercoraria, velut symbolo aut classico teste hujusce historiæ. Eam enim sellam balnearem fuisse, ante complures annos Stephanus Vinandus Pichius *me docuit, in libro nunquam satis laudato, qui inscribitur* Hercules Prodicius *p. 339. Iconem qui cognoscere velit, adeat accuratissimas notas Viri summi Ioh. Rhodij ad Scribonium Largum, ibid. p. 281. duæ sellæ balneares è candido marmore factæ ad vivum repræsentantur. Quales verò fuerint, patet ex hac earum descriptione apud Cassiod. lib. 2. var. ep. 39.* Juxta, (*inquit,*) caput fontis scintillosi quendam sibi meatum provida natura formavit; Hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur, ægros suscipit interno

humore diffluentes: ubi dum fessi nimio languore consederint vaporis illius delectatione recreati, & lassa viscera reficiunt, & humores noxiâ infusione laxatos vitali ariditate constringunt. *Nec tamen hanc privatam meam, & paucorum aliorum virorum aliàs summorum opinionem, sic urgeo, ut publicè quoq; persuadere velim; patior lubens, ut alii ab ea recedant, imò eam oppugnent, modò mihi probro non vertatur, quòd cum ratione diversum statuam. Nec quando hanc foveo sententiam, patrocinor Papismo, aut Babyloni adulor. Absit quicquid alii sentiant, meam opinionem ei confundendæ, præ altera servire credo. Quod enim à pluribus seculis Papani constanter crediderint, Iohannam Papissam Ecclesiæ præfecisse, completum est vaticinium Apostoli 2. Thess. 2. v. 11. minantis iis* efficaciam erroris, immittendam à Deo, ad hoc ut crederent mendacio. *Atq; si dicere liceat, quod res est, Papani Doctores, dum vident quosdam ex nostris, pro Iohannæ Papissæ historiâ, ut verâ, velut pro aris ac focis digladiari, argumentum inveniunt ad confirmandos cæcos suos sectatores, eosq; ab orthodoxâ doctrinâ alieniores reddendos. Cùm enim non difficulter imò sufficienter (licet non deberent ipsi) commentum hoc destruere queant, facilè simpliciori-*

bus

bus persuadent, ejusdem notæ esse reliqua, quæ illi, quos per calumniam Hæreticos vocant, adversus dogmata suæ Ecclesiæ, quam solam contendunt esse Catholicam, adducere consueverint. Porrò mi Lector velim ignoscas circa ea quæ pag. fide aliena ex Luitprando adduxi. Quod festinarem, alienis oculis credidi. Verba Luitprandi aliter habent. Interim verum est urbes, munitas scilicet seriùs in Germania notari cæpisse, quàm eodem loco Luitprandus testetur, Saxonum ac Thuringorum terram nec montibus adjutam nec firmissimis oppidis munitam esse: valeatq; hoc contra illos, qui urbibus ut speciosis, præ aliis, ante Carolum M. quoq; privilegia vindicare non erubescunt. Erratum hoc corrigere, quàm aut dissimulare, aut propugnare malui. Fortè in pluribus quoq; erravi, æquè ac Typographus multoties. Quare, (ut usurpem verba Bonaventuræ tom. 1. opuscul. de grad. virtut.) qui hominem te esse scis,

Sis mihi corrector, resecando superflua Lector
Veraque digneris, quæ desunt jungere veris,
Omnem defectum, partim studio brevitatis
Scribentis tribuas, partim vitio ruditatis.

Simul Vale & conatibus nostris fave.

Clarisse-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [15] - 11

Clariſſimo, Celeberrimoq; Viro

Dn. MARTINO SCHOOCKIO,

Theologo, Philoſopho, ac Polyhiſtori ſummo, Viro in omni ſcibili verſatiſſimo;

Poſt ſcripta varia exaſciatiſſima, fabulam Hamelenſem vulganti.

TEmporis antiqui vindex, lux ô nova noſtri,
SCHOOCKIADE, Sophiæ Phœnix illuſtris, & Atlas;
Quẽ non una juvat, ſed tota Scientia, quanta eſt,
Exhauſta eſt, habitans pectus mentemq; capacẽ:
Quâ te laude canam, quæ digna encomia promã?
Tantũ opus aggrediens ſub põdere Muſa fatiſcit.
Quamvis haud valeam Dircæo prodere cantu
Facta tui, pro me gentes, Europa, loquentur
Et genii monumenta tui, quæ nulla tacebunt
Secula, venturi memorabunt illa nepotes.
Nam quotiens & condis opus, didisq; ſub Oras
Luminis, excipiunt avidi queîs omine Titan
Non lævo meliore luto præcordia finxit.
Singula ſint aliis Sapientum dogmata curæ,
Vni Panſophiæ tibi totus ſufficit orbis;
Philoſophûm nec noſſe ſatis ſectamve medentũ.
Nunc ſummi dictata Dei de Codice ſacro,
Nec non Theiſophum myſteria ſancta recludis,
Obſcurisq; facem Phœbææ lampadis infers.

Nunc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [16] - 12

Nunc merum ſecreta doces, nunc civica jura,
Libera quæ Reſpublica, quæ fert Induperator.
Nunc dicendo tonas Romanæ fulmine Suadæ.
Naturæ nunc pandis opes, terræq́ latentes
Theſauros aperis, vel Tethyos æquore piſces.
Nunc cœli numeras ſtellas, quot in æthere lucent
Sidera, quot gyris circumvolvuntur & orbes;
Qui, ſi Panthoïdæ credas, concentibus auras
Æternoq́ domus Divûm modulamine cõplent.
Iudicii nunc lance libras, quid fabula ficta
Diſtet ab hiſtoria, mendaci cortice quamvis
Hanc conſtans hominũ vulget per ſecula fama.
Talis fert Hameiæ pueros exiſſe (trecentos
Miſit & urbs Fabios ſceleratа Romula porta)
Præcentore Mago, montisq́ voragine ſorptos.
Credere cui lubeat, ſibi decantata retentet.
Credulitate vacas, larvã dũ maxime SCHOOCKE
Detrahis, ac vetus hoc in aprico drama reponis.
Hinc plaudente choro Sapiẽtum, prima mereris;
Gloria ſic creſcet, laus & contermina cœlo,
Famæ trans gelidas pennis vectaberis Alpes.

Guil. Snetlagius.

Fa-

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [17] - 13

Fabula Hamelenſis.

Anteloquium.

CVm *Hiſtoriæ anima, atq;* (ut cenſet Nicephorus Gregoras lib. 1. Hiſtor.) *oculus Veritas* ſit, eaque *non oſtentationi, ſed fidei veritatiq; componatur*, ſecundum Plin. lib. 7. epiſt 33. non ſolum illi, qui res quondam geſtas, æternitati & ſuperſtitum memoriæ conſecratas volunt, meminiſſe deberent, *primam Hiſtoriæ legem eſſe* (verba ſunt Ciceronis 2. de Orat. c. 15.) *ne quid falſi contineat*; verùm etiam omnes qui hiſtoriæ aliquod pretium conſtituunt, eamque ex admonitione Polybii lib. 1. hiſt. c. 1. *expeditißimam ad proficiendum viam* agnoſcunt, operam quantum in ſe dare deberent, ut omnia, quæ fide velut hiſtoria referuntur, regulis τῆς θείης ἀληθείας ex amuſſis reſponderent. Nam cùm hiſtoricis res longè ante ſuam ætatem geſtis annotantibus, poſtquàm omnia quæque egerint atque amorem & odium procul habuerint, plurima offerri conſueverint impedimenta, veritatis exhibitioni quam maximè officientia; cuncti, quibus occulti hi fidei ſcopuli, raro Dei munere poſtea patefiunt, operam dare deberent, ut ſi quæ rima alicujus hiſtorici navim ignominiæ profundo merſura videatur, quanto ocyùs & citra inſectationem, obturetur. Hominum, utut viſi fuerint rationes omnes diligenter ſubduxiſſe, proprium ſemper erit errare poſſe, atque falli circa illa, quæ reprehenſionis ſperabantur ſecura fore.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [18] - 14

fore. Ut verò ingenuus quisque nihil æque in votis habet, quàm ut errores sibi, velut homini eximantur; ita quisquis ingenuus, errores, quos scriptores ingenui si vidissent, emendassent, aliam non exspectando mercedem, quàm ut sibi tanquam homini idem à posteris officium exhibeatur, indicare etiam laborat, quando de veritatis triumpho (resistunt ei animi ab inveteratâ opinione subacti) desperat. Has nos impellente ratione, aliquanto diligentius inquirere decrevimus, circa quandam narrationem historicam, quæ licet altas in multorum animis radices egerit, applausum tamen consequemur apud omnes, qui norunt tantam esse gratiam & pretium veritatis, ut ei cedere debeant omnia ea, quæ mens aliàs in deliciis habere, & immenso quoque pretio æstimare solet. Quidam fortè existimabunt, operæ pretium nos magis facturos fuisse, si alia, quæ circa historiam affecta habemus, confeciſſemus, quibus duntaxat illud Ciceronis reponimus lib. 1. de Finib. *Ego non tam facilè interrupta contexto, quàm absolvo instituta.* Alios offendet argumentum exile & sterile, concernens ejusmodi rem gestam, quam scire haud magnoperè interſit. Quibus respondeo, interim *publicè intereſſe, ut veritas pateſiat.* Nam si *hominis interest hominem beneficio affici* l. 7. ff. de export. serv. næ *publicè* quoque *refert veritatem manifestari.* c. quanquam. 14. q. 2. usque adeò, ut *qui id facit, gloriam Deo det,* Jos. 7. v. 19. cùm vice versâ secundum Canonistas, *qui occultat veritatem* (de quâ scilicet publicè constare debet) *peccatum committit,* c. quisquis. 11.

q. 3.

q.3. Gail. lib. 1. obſ. 100. n. 1. *erroremq; cui non reſiſtit, approbet, & veritatem, quam non defendit, opprimat* c. 3. diſt. 83. In ſummâ, cùm ſecundum Ariſt. lib. 1. Ethic. ad Nicomach. c. 6. ὅσον ἢ πειρᾶν τιὼ ἀληθειαν; videmur hactenus de publico benè merituri, ſi circa rem leviorem quoque, eam aſſerere laboraverimus: Licet enim *errare facile ſit & humanum* l. 2. §. 14. C. de V. J. E. maximè in rebus antiquis & ab hominum memoriâ remotis l. 28. ff. de probat. vel quæ difficulter ſciri poſſint, ut *in cognoſcendis perſonis, ubi magni errores plurimùm intercedere ſolent*, l. 5. ff. de contrah. emt. usque adeò ut ſæpè *communis error jus faciat* l. 3. in fin. ff. de ſupell. leg. idemque *recti locum teneat, ubi publicus factus fuerit*, ut loquitur Sen. ep. 123. Nihilominus civile eſt, erranti viam demonſtrare, virique boni officium errantem monere: qui ſi monitus in errore perſeveret, *contra propria commoda laborare* videtur l. 4. C. de ſponſal. atq; non errantis amplius, ſed ſtulti & de mentis locum occupat, cui in jure non ſuccurritur l. 9. §. ult. ff. de jur. & fact. ignor. Si aliquibus diſplicuerint edentuli & ſine fuco ſales, fortè alicubi inſperſi, cogitent eos ſervire ſcopo & rei, quam examinamus. Tertullianus contra Valentinianos c. 6. docens, quomodo adverſus quoſdam errones ſit diſputandum: *Si & ridebitur*, (inquit,) *alicubi, materiis ſatisfiet, multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur; vanitati propriè feſtivitas cedit, congruit & veritati ridere, quia lætans; de amulis ſuis ludere, quia ſecura eſt: curandum planè, ne riſus ejus videatur, ſi fuerit indignus, cæterum ubicunq; dignus riſus, officium eſt.* Quod autem

Ter-

Tertullianus, in graviori disputatione adversus hæreticos sibi faciendum putabat, id nobis liceat traducere ad universam Christianæ vitæ consuetudinem, in quâ nimirum verum est, quod à *Cicerone* Ethnico licet scriptore, *lib.* 1. *off.* traditur: *Licere quidem joco & ludo uti, sed sicut somno & quietibus cæteris, tunc cùm gravibus seriisq; rebus satisfecerimus, modò meminerimus, ut pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non abhorreat: sic in ipso joco aliquid probi ingenii lumen elucere oportere.* Adversarius, quem subinde præ aliis ad partes vocabimus, si fortè videatur neglectui fuisse habendus; dicemus hoc unum, eum licet Germanico idiomate scripserit, judicium nihilominus, diligentiam, atque telum non planè ἄλογον prodere, pro asserendâ licet fabula: Deinde non gerimus nos pro Alexandro Magno, quem cum, teste Plutarcho in vit. quidam hortarentur, ut in stadio Olympico certaret, dixit: *Libenter, modò cum Regibus.* Denique, si queis gravis fuerit prolixitas, eos meminisse jubemus dicti *Martialis*:

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Hæc præfati ad rem ipsam nos convertimus, atque initio, quàm accuratè formandus fuerit status controversiæ.

PROPOSITIO.

IN celebrato illo Brunsuicensi Ducatu, quem multis dotibus Deus beavit, ad opulentum fluvium Visurgim posita est civitas dicta *Hamela*, sive ut aliis placet *Hameloa*. Quamvis verò in antiqui-

tatibus ac originibus populorum & locorum inveſtigandis, haud leve momentum tribuere fas ſit etymologiis verborumque proprietatibus, ſi modò ſobriè & modeſtè inducantur: neutiquam tamen probamus præpoſteram diligentiam Goropii Becani, nimium ingenio ſuo indulgentis, dum Cimbricam ſuam linguam (quæ non multum à Saxonicâ recedit) ex Paradiſo deducens, illam omnium linguarum matrem incredibili audacia proponit, irriſus paſſim à viris doctis, Joſepho Scal. J. Lipſio, Phil. Camerario lib. 3. medit. hiſt. c. 62. & 65. Chriſt. Becman. in manud. ad Ling. Lat. c. 5. aliisque. Eoque ſepoſitis nugis Goropianis, exiſtimamus haud admodum eos falli, qui à fluento vicino dicto *Hamel*, urbi nomen eſſe exiſtimant, quomodo à ſaltu propinquo Hama nomen Hamburgo; & à nemore Hilles Hillesheimio. Olim dicebatur *Quern-Hamelen*: cujus nominis veſtigia etiamnum exhibent urbis inſignia, in quibus notatur lapis molaris: *Quern* enim non ſolùm Saxonibus, ſed Belgis quoque, qui his multa ex ſuis vocabulis debent, notat molam manuariam ſive truſatilem. Quidam natales illius referunt ad tempora Caroli Magni; alii ad ætatem Ludovici Pii: de quibus haud equidem certi quid poteſt affirmari, cùm omnes fermè hiſtorici, ut in proxima digreſſione liquebit, graviſſimè quoque fallantur, circa ipſos Epiſcopatus, à Carolo M. fundatos. Hoc certum, locum hunc quàm obſcurum adhuc fuiſſe tempore Imperatoris Lotharii, quemadmodum colligere eſt ex Helmoldi Chronico Slavo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [22] - 18

rum, apud quem cap. 43. sequentia occurrunt: *In villa publica, cui nomen Quern Hamele, quæ sita est in ripa Wiseræ.* Jesuita Braunerus lib. 4. Antiquit. Fuldensium, persuasum vellet Hamelam à Carolo M. cum universo vectigali & capitum censu Ecclesiæ Fuldensi dono datam fuisse: quod vero non consentaneum: quanquam non invitus dederim, primitus pertinuisse ad Abbatem Fuldensem, & ab eo donatam fuisse Episcopo Mindensi, donec transiret in domum Brunsuico-Luneburgicam: quod contigisse creditur circa annum CIↃ CCLXI. Plura de urbe hac non addo, quod haud indiligenter id factum fuerit à M. Samuele Erichio in Tractatu, quem sæpiùs dein citabimus. Unum solum, quod ab eo præteritum est, addo ex historiâ Saxonicâ Davidis Chytræi, qui ita ad annum 1556. lib. 8. Histor. *In ducatu Brunsvicensi, non procul à Visurgi, proque Hamelam, concursus multorum hominum ad fontem, qui panacæa adversus omnes morbos putabatur, initio anni factus est. Vsitata vulgo vanitate, quod ad famam rerum novarum avidè concurrit, & extinctâ admiratione facilimè dilabitur. Duravit ea frequentia ad tres menses. Cùm enim scaturiginem fons ex terrâ luteâ, cui ὤχρα, quam Sil Plinius, Germani Berggeel nominant, copiosè mixta erat, vim erodendi habens aliquorum ulceribus initio medebatur. Sed plerisque nihil adjutis, & plurimis ibi mortuis, eadem facilitate, quâ confluxerat, rursum dissipata est.* Ut propius v. ad rem accedamus, anno Christi 1284. die Johannis & Pauli sive 26. Junii, inauspicatus quis circulator creditur pueros & puellas aliquot teneriori s ætatis, magico

ſuſurro ex urbe evocaſſe, qui ſi non abſorpti fuerint à terrâ, ſaltem nunquam ad ſuos redierint. De hac hiſtoria quæritur, Verane debeat agnoſci, an fabulis accenſeri? Veram eſſe cenſet Rev. & Celeberrimus Theol: Calixtus Tr. de conjugio Clericorum, & Angelicus Werdenhagen J. C. part. 3. Rerump. Hanſeat. præaliis M. Samuel Erichius in peculiari libello de hac hiſtoriâ, cui titulum fecit *Exodi Hamelenſis.* Ad examen priuſquàm nos convertimus, aliquos qui hiſtoriam ipſam cum omnibus circumſtantiis retuliſſe videntur, hinc exhibebimus. Inter eos primò occurrit Joh. Wierus lib. 1. de præſtig. c. 16. §. 2. *Tibicen quidam Hamelæ Brunſvvicorum ad eliciendos glires conductus, ſequenti rependit facinore ingratitudinem, cum illi ex pacto non ſatisfieret. Anno ſiquidem MCCLXXXIV. die XXVI. Iunij, hunc tibicinem, omnicolorem nuncupatum ob veſtis varietatem, centum & triginta pueri per plateam inde nomen, ut audies, ſortitam, non procul extra civitatem uſque ad Calvariæ locum ſub Koppen nuncupatum, ad viam communem Boream verſus ſitum, ſecuti periêre, nec unquam poſtea apparuêre. Hæc ita in Annalibus conſcripta, Hammelæ in Archivis religioſè cuſtodiuntur. Leguntur & in libris templi ſacris, atque in ejuſdem vitris picta conſpiciuntur: cujus rei oculatus equidem teſtis ſum. Vetuſtior præterea Magiſtratus in hiſtoriæ hujus confirmationẽ ſuis codicillis publicis inſcribere ſolet cõjunctim, Anno Chriſti &c. & exitus puerorum anno &c. obſervatur v. in hunc uſque diem, ad perpetuam rei geſtæ memoriam, quod tympani ſonitus nunquam in eadem admittatur platea, per quam egreſſi pueri, ſi fortè iſthinc aliqua educitur*

ſponſa

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [24] - 20

ſponſa, donec ex illa exierit: nec etiam choreæ in eadem ducuntur. Hinc & nomen conſecuta eſt platea, Burgeloſe Straſſe. *Mane poſt ſeptimam horam contigiſſe hoc fertur, & fuiſſe in puerorum numero conſulis filiam jam plenis nubilem annis, quæ ſimul evanuit. Puer verò quidam non nihil ſecutus, nec dum veſtitus, volens ſuas adferre veſtes, redijt domum, interea a. evanuêre omnes in exigua fovea colliculi, quæ mihi oſtenſa eſt. En Diabolum tibicinem ſanguinarium.*

Ex pluribus aliis, qui huic teſti ſuccenturiari poſſent, ſuffecerit duos duntaxat citaſſe: prior eſt Athanaſius Kirchnerus Fusdenſis è Soc. Jeſu, vir πολυμαθέστατος, variisque lucubrationibus cedro digniſſimis celeberrimus, qui in Muſurgiâ univerſali tom. 2. lib. 9. c. 3. p. 232. ſi fides deferenda Erichio hanc hiſtoriam retulerit. *Supra quàm dici poteſt mirum quippiam accidit in Hameliâ inferioris Saxoniæ oppido ad Viſurgim ſito; Hiſtoria ita ſe habet. Cum indigenæ eo anno ingentibus murium ſoricumque agminibus infeſtarentur, malumq; in tantum creſceret, ut nihil ferè ſive fructuum, ſive ſegetum, quod ſoricum roſionibus non eſſet obnoxium reperiretur, ac proinde varia de tàm importuno & pernicioſo malo tollendo conſilia agitarentur; interea de re pentè vir quidam inviſus ante hac & ſtaturæ prodigioſæ comparuit, qui mox, quicquid murium eo in diſtrictu eſſet, confeſtim ſublaturum, dummodò de certâ pecuniæ ſummâ cum eo paciſcerentur, pollicitus eſt; dictum factum; Promiſſâ mercede dictus vir extracta ex pera, qua cinctus erat, fiſtulâ ſimul ac inſonuit ecce ingentia murium ex omnibus domorum angulis tectorumq; crepidinibus, foraminibus pavimentorum prorumpentium,*

pentium agmina insolitum illum Aulœdi sonum ad flumen usq; sequuntur. Aulœdum ibi succinctâ veste flumen ingredientem sorices secuti unà ibi omnes voluntaria submersione extinguuntur. Vir peracto incantamento poscit mercedem conditam, verùm cùm cives de summâ promissa tergiversarentur, minacibus illos verbis increpuit, nisi mercedem darent, futurum ut aliam exigeret mercedem multò promissa graviorem. Minæ risu exceptæ, postero v. die circa meridiem denuò vir dictus comparuit habitu venatoris, vultu terribili, purpureo inusitatæ compositionis pilæo, fistulamq; aliam longè à priori diversam simul ac insonuit, ecce omnes pueri totius oppidi à quadriennibus usq; ad duodecennes egressi, prodigiosum sonum secuti sunt; Est autem extra oppidum in monte quædam caverna; in hanc una secum omnes pueros duxit venator. Atq; ab eo tempore nullus unquam puerorum comparuit, nec unquam rescitum deinde, quid cum pueris actum sit, quò abierint? Hôc tàm mirifico eventu totum oppidum suis viduatum filiis annos suos computare in hunc usque diem solet à filiorum nostrorum ingressu. Fui & ego in eadem urbe, montem ipsum vidi, & historiam minuta pictura in Ecclesia exhibitam summa admiratione contemplatus fui. Queritur igitur quisnam ille sonus fistulæ tantæ virtutis fuerit? Resp. Haud dubiè Dæmonem fuisse, qui occulto Dei judicio fascinatos pueros in aliam orbis partem transtulerit. Nam Chronica Transsylvaniæ testatur, circa idem tempus in Transsylvania ignotæ linguæ pueros derepentè apparuisse, qui & ibi sedem figentes linguam suam ita promoverint, ut in hunc diem Transsilvani non alia nisi Germanica Saxonica loquantur. Alter testis qui & Poëta, vocatur Lucas Lossi, vir

vir non indoctus, & per plures annos moderator Gymnasij Luneburgensis, ubi & teste Bucholtzero in Indice Chronologico vivere desijt anno LXXXII. superioris seculi ; ejus teste Erichio, extat sequens carmen, de pueris montem Hameliæ ingressis.

Hameliæ in ripis jacet urbs celebrata visurgis,
Quâ Sathanæ est olim res nova gesta dolis :
Ascaules crebo venit hanc ignotus ad urbem,
Vtriculo pueris carmina grata canens.
Ascaulem sequitur puerorum longa caterva,
Ducta novo cantu, ducta novoq; viro.
Tempore ubi multo hos circum duxisset in urbe,
Vtriculi oblectans carmine dulcisono,
Vicinum ad montem deduxit prævius illos
Ad montem CAPITVM qui sibi nomen habet.
Ascaules intrat montem, comitantur euntem
Incauti pueri montis in ima ducem.
Fama venit, trepidi procurrunt urbe coloni,
Procurrunt matres, attonitiq; patres :
Stat puer illacrymans non montis in antra secutus,
Hic monstrat pueri quem introiere locum.
Perfodiunt cives latebras, montisq; cavernas,
Scrutantes pueros voce querente suos :
Ast non inveniunt perfosso monte dolentes,
Ah miseri natos quàm doluere diu.
Annales factum veteres testantur in urbe,
Pictura & vitrea est testis in æde vetus. &c.

Præter hos Autores alij recentiores scriptores hanc eandem rem gestam in historiam suam retulerunt, ex quibus apud Erichium citantur

Henricus Büntingius in Chron. Brunſvicenſi, Joh. Micrælius in Catalogo Doctorum Evangelicorum ſeculi Lutherani, lib. 3. Syntagm. hiſt. ſect 2. q. 48. p. 361. Michael Saxo in Chronologia Imperatorum, Honsdorffius in Promtuario Exemplorum ad quartum præceptum, ſub titulo: De educatione liberorum; Fincelius lib. 1. miraculor. cap. 4. Selneccerus Inſtit. part. 1. p. 291. & Comment. in Geneſ. p. 97. Hen. Kornman. in monte Veneris c. 78. M. Laurentius Culman. in deſcriptione urbis Hameloæ, qui ſubſequentibus verſibus, teſte Erichio, rem hanc geſtam celebravit:

Præterea effigies puerorum picta feneſtris
Nititur: urbs quos cum lacrymis gemebunda requirit,
Abduxit pueros hos quondam lux lacrymoſa
Centum & triginta ſorpſit ceu vaſta vorago,
Abſtulit una dies, nunquam lux reddidit ulla.
Romæ olim bello, ſed aperto Marte cruentos
Ter centum Fabios lux atrox abſtulit una.
Hos autem pueros miſtim parvasq; puellas
Bello non aptos lux funere merſit acerbo.
Quàm gravis ergò fuit Romana per atria luctus,
Tàm gravis hic dolor eſt tuus urbs Hameloa celebris

Autoribus hiſce, velut tantundem in hac controverſiâ valentes, addere licet Cluverum in Chronolog: & Camerar. cent. 2. medit. hiſt. c. 12. Omnes v. jam dicti Authores reſolvuntur in unum aliquem, velut primum, ſive authorem Chronici Hamelenſis, ne quidem adductum ab ipſo Erichio qui illius loco adducit alia quædam monumenta Hameliæ occurrentia, & indicium hujus quaſi hiſtoriæ

ſtoriæ facientia, ex quibus nobis tria ſequentia præcipua videntur. 1. Feneſtra vitrea in templo, quod foro adjacet, in quo tùm hiſtoria depicta ſit, tùm rudera ſequentis inſcriptionis legantur.

AM DAGE JOHANNES
UND PA—LI — — —
SINT BINNEN
HAMMELEN GE
BAREN THO K — —
VARIE UNDE
DORCH
ALLERLEI GE — —
DEN KOPPEN — —.

ANNO 1572.

2. Ad portam novam dictam, (ſed quæ tamen ultra centum annos ſteterit) teſte eodem hoc diſtichon occurrerit:

Centum ter denos cùm Magus ab urbe puellos
Duxerat ante annos CCLXXII, *condita porta fuit.*

3. In Cœnobio S. Bonifacij, eodem teſte, adhuc legerentur ſequentes verſus:

Poſt duo cc. *mille, poſt octuaginta quaterq;*
Annus hic eſt ille, quo languet ſexus uterq;
Orbantes pueros centumq; triginta, Iohannis
Et Pauli charos Hamelenſes non ſine damnis.
Fatur ut omnis, eos vivos Calvaria ſorpſit.
Chriſte tuére tuos, ne tàm mala res quibus obſit.

Crisis Generalis plures sub examen vocans Historicos; simulq; docens, quomodo constare queat, narrationem aliquam Veritati consentaneam esse.

VErissimum quidem illud Plinij lib. 5. epist. 8. *Orationi & carmini parva est gratia, nisi eloquentia sit summa, historia quoquo modo scripta delectat.* Sunt n. homines naturâ curiosi, & qualibet nuda rerum cogoitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur: Interim, nisi præsidio veritatis ipsa suffulta fuerit historia, similis erit ædificio, quod quando destituit fundamentum, primò ruinam minatur, & postea collabitur. Convenienter quippe Cic. ex parte ad suffragium quoque vocatus in ipso hujus dissertationis vestibulo, lib. 2. de orat. *Nam* (inquit) *quis nescit historiæ primam legem esse, ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo? ne qua simultatis?* Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Atque ut Plinius dicit lib. 7. c. 17. *Historia non ostentationi, sed fidei veritatiq; componitur.* Est siquidem (Diod. Siculo teste lib. 2. Biblioth.) *Historia veritatis propheta, aut sacerdos.* Præclarè Polyb. in excerpt. lib. 12. hist. c. 5. *Vt animal luminibus ademtis prorsus inutile redditur, ita si veritatem ex historiâ tollas, quod superest illius, narratio est nullius usus.* At, ut ea, quæ pulcherrima, difficillima esse solent; ita id locum quoque habet circa veritatem, quam non sine ratione Democritus (vid. Cic. IV. Acad. quæst.) finxit puteo & quidem pro-

profundo, immersam esse; *latet* quippe *omne verum* juxta Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c. 3. imò ut Seneca loquitur lib. 7. de benef. c. 1. *involuta veritas in alto latet*: quæ ut erui atque inveniri, non minus in aliis disciplinis, quàm speciatim in historiâ possit, nulli labori parcere convenit, exemplo summorum quorumcumque virorum, de quibus sic Cicero Christianus Lactant. lib. 1. divin. instit. c. 1. *Magno & excellenti ingenio viri, inquit, cùm se doctrina penitiùs dedidissent, quicquid laboris poterat impendi, contemtis omnibus & publicis & privatis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium contulerunt.* Simplex quidem atque unica tantùm Veritatis via est, cœterùm in eam, tanquam in fluvium jugem, plurima aliunde fluenta atque rivi influunt, sic ut parum sæpè absit, quin alveus illius obliteretur: atque, *utinam tàm facilè liceret vera invenire, quàm falsa convincere!* ut Cicero Lactant. loquitur lib. 2. de orig. err. c. 3. imò utinam semper quæ falsa sunt possent deregi! Falsa siquidem sæpè Veritatis exuvias induunt, atque tàm artificiosè eas sibi aptant, ut ipso Arist. teste lib. 1. Soph. Elench. cap. 1. sub. specie veri decipiant. Quomodo etiam dicitur in principio Novell. 73. quod nihil aliud sit *falsitas*, quàm *Veritatis imitatio, atq; hoc institutum est omnium falsariorum*, (sunt verba Imp. Leonis in Nov. 76.) *ut falsum veritatis specie tegant, & suppositas suas merces in cautis obtrudant.* Judicio ergò, imò & diligentiâ opus est, ut mendax hoc tectorium submoveri, ac veritas sub eo latitans, in apricum produci possit; maximè hæc duo requiruntur circa historiarum exa-

men

men; nisi fortè quis se similem exhibere voluerit Stoicis, de quibus Cic. 2. de divinat. testatur, quòd omnia cum superstitiosâ sollicitudine & miseriâ crederent: ad quos certè accessit ille, de quo sic Melchior Canus lib. 2. Loc. Comm. c. pen. loquitur: *Ætas nostra Sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset, nihil omninò esse falsum, quod semel typis fuisset excusum.* Aliud judicant de historicis primæ quoque notæ, quotquot ad eorum lectionem nunquam judicium attulerunt. Ex multis qui ad suffragium hîc vocari possent, instar omnium sit *Vbertus Folieta*, cujus hæc sunt verba in exasciato illo opere *de similitudine normæ Polybianæ*: *Nemo unquam, inquit, historiæ scriptor (historias in S. literis scriptas semper excipio) non aliquâ in re lapsus ac falsus est, non modò in causis & consiliis exponendis, in quibus tanquam abditis & abstrusis major est errori veniæ locus, sed in ipsarum rerum, quæ palàm geruntur, narratione. Nullam n. rem à pluribus Scriptoribus, vel ejusdem ætatis, quâ res gesta est, æqualiter traditam legimus, quæ non aut tempore, aut modo gerendi, aut verò aliqua ex sui parte variet; in eaq; narrandâ scriptores inter se discrepent. Quamvis de re ipsa inter omnes constet.* Hæc ille. Quod Folieta dicit, suâ ætate jam dixerat Flavius Vopiscus; qui cùm suâ ætate historiam scribere institueret, & confiteretur, *nullum historiæ scriptorem esse, qui non sit aliquid mentitus*; minimè tamen nos propterea abduci debere ab omnium scriptis judicavit: neque omnes historias Julij Capitolini verbo, pronunciavit esse mythistorias. Fieri profectò vix potest, quin aliquid falsi aliquando in earum monumenta irre-

irrepat: sed nimis illi, non jam dico morosi, sed importuni & intemperantes Censores sunt, qui statim atq; quippiam ejus generis mali in aliquo scriptore notare possunt, totũ scriptorẽ superbè ac fastidiosè abjiciunt, vel contumeliosè lacerant, non secus, atque qui cùm aliquem in pulchro alioqui corpore nævum deprehenderunt, totum illud corpus, tanquam deforme & fœdum cadaver conspuunt, sepeliendumque & obruendum esse impotenter clamitant. Atque si agere ita velimus, ecquam tandem historiam habebimus reliquam? Scio & profiteor, nos, quantum fieri potest, curare debere, ut fabulas, quæ historiam plerumque obsident, eamque clàm pervaserunt, depellamus. Sed rursus cavere oportet, ne sic omnia ad vivum resecemus, ut etiam verum cum falso temerè abjiciamus. Nos ratione eorum, quæ tradunt historiæ, & quidem occasione narrationis, quam examinare instituimus, quædam laborabimus κεφάλαια proponere, singularibus exemplis illustrata, quæ si à veritatis studioso diligentiùs attendantur atque observentur, viam, quæ ducit ad incomparabilem Veritatem, minus impeditam offendet. Quo verò ordine progredimur, existimem haud flocci faciendam esse admonitionem Polybii, qui ita loco antea citato: *Nos duplex esse mendacij genus dicimus: unum quod ab ignoratione veri proficiscitur, alterum quod à certo animi proposito mentiendi.* Ad posterius hoc genus pertinet *Fabula*, quæ mihi non incommodè definiri videtur ab Aphtonio in progymnas. (ut ut ei insultet Scalig. lib. 2. de Re poët. c. 83.)

gratia

oratio falsa veritatem repræsentans. Nam ut loquitur Plut. lib. de gloria Athenienſ. *Fabula eſt narratio falſa, veræ ſimilis.* Longè itaque abeſt à rebus. Narratio enim rei, fabula narrationis ſimulacrum eſt: tantoque intervallo abſunt fingentes à narrantibus, quanto hi à rem gerentibus. Eoque ſit hoc *primum* præceptum: Fabuloſæ hiſtoriæ non ſunt eodem loco habendæ cum veris, ſive iis quæ ſtudio veritatis ad ejuſdem lineas ſunt exactæ. Quænam verò ſint fabuloſæ narrationes habendæ, haud pariter liquet. *Quædam* ab Authoribus eâ intentione ſunt ſcriptæ, ut à lectoribus duntaxat habeantur eruditæ fabulæ, veſtitæ licet plumis non minùs elegantis ſtyli, quàm ſalubrium præceptorum. *Aliæ* licet falſæ ſint, eo tamen inſtituto à Diaboli veriùs clientibus quàm ab hominibus ſunt exaratæ, ut earum occaſione alij decipi, atque in etrorum præcipitium abrepi poſſent. *Deniq;* quædam narrationes occurrunt, de quibus cum ratione ambigas, debeantnè fabulis accenſeri, an verò veræ hiſtoriæ haberi. De ſingulis aliquid. Atque accedendo ad primi & ſecundi ordinis fabulas, mirandum ad modum, tantum iis tribui ab hominibus, & tàm impensè eos talibus narrationibus capi! Sic ut non ſine ratione dixerit Lyricorum Græcorum princeps Pindarus olymp. od. 1. *Fabulas poëtarum majorem ſæpe numerò veris narrationibus fidem invenire apud mentes mortalium*: cujus & rei non incommodam videtur cauſam adferre, cùm addit, *eas fabulas ita decipere diverſis mendaciis variegatas, &*

affabrè

affabrè ac concinnè elaboratas. Nam concinnitas artificii variis mendaciis artificiosè velata & fucata, facilè persuadet credulis atq; imperitis, ut ea ipsa, quæ reverà sunt incredibilia, fide digna esse existiment. Interim ad hanc classem fabularum præter Poëtas, quorum princeps Homerus, alii quoq; multi, qui prosâ oratione scripserunt, referri debent. Initio commemorari dignus *Lucianus* Samosatensis, 122. ad concitandum risum factus: qui licet scripserit librum de conscribendâ historiâ, duobus tamen libris ex professo veræ historiæ fidem sublevare conatus est, atque in variis Dialogis, ad historiæ quasi regulas compositis, destinato consilio tùm Deo, tùm hominibus maledicit; sic, ut quibusdam fabulis atque ineptiis superadditis, in Peregrini quoque vitâ, (ut observatum etiam à Suidâ est) Christianismum graphicè traducat, ipsique Christo, homo scilicet maledicentissimus, inclementer dicat. Haud multum à Luciano recedit, coætaneus fermè illius, *Philostratus* Lemnius, cujus stilus licet admodum tersus sit in octo illis libris, quibus descripsit vitam Apollonii Thyanæi, rectè tamen judicat Ludovicus Vives vir doctissimus lib. 5. de tradendis disciplin. *eum magna Homeri mendacia majoribus mendaciis correxisse*: cui adstipulatur vir πολυμαθέστατος ac longiori ævo dignissimus Gabriel Naudæus. Nam quamvis Hierocles (cui octo libris respondit Eusebius Cæsariensis) ausus fuerit comparationem instituere inter Apollonium & Christum, atque Eunapius Sardianus

nus ſententiam illius cenſeat fuiſſe θεὸν εἰς ἀνθρώπου ἐπιφημίαν, amplius Porphyrius Chriſtomaſtix ſuſtinuerit eum Chriſto opponere, ipſique Chriſtiani Doctores meminerint præſtigiarum variarum Apollonii; Philoſtratus tamen vanos Duces, maximè Damoclem Aſſyrium, Apollonii quaſi comitem ſecutus, omnia fabulis conſpurcat. Huc pertinet quoque ex Latinis *Apuleius Madaurenſis*, vir in omni parte Philoſophiæ verſatiſſimus, authorque XI. librorum Mileſiarum (ut Capitolinus loquitur) inquo tamen opere Lucianum ducem ſecutus fuit. Nec alii claſſi accenſeri debet *Heliodorus*, origine Phœnix, cujus Æthiopica, ſeſamo licet & papavere conſperſa, non hiſtoriam, ſed drama continent, ut vidit quoque Photius cap. 72. Biblioth. Mirum verò eum, cùm conſtitutus eſſet Theſſalici oppidi Triccæ Epiſcopus, hunc juvenilem ingenii ſui fœtum tantoperè dilexiſſe, ut maluerit Epiſcopatu abire, quàm Synodo provinciali parere, quæ ſtatuerat, aut eum infulas debere ponere, aut fabuloſam illam hiſtoriam Vulcano conſecrare, ut fuſius refert Niceph. lib. 12. hiſt. Ecc. c. 34. Scriptorib. hiſce vetuſtiorib. quib. cõplures alios ęquè antiquos addere liceret, omninò cõjungi debet *Turpinus*, aut ut alii legunt Tulpinus Archiepiſcopus Rhemenſis, ex cujus hiſtoriâ de rebus geſtis Alexandri Magni excuſa Francof. 1566. quamvis quidam aſſerere laborent, varias Galliæ & Germaniæ antiquitates, eamque alleget Jacobus de Voragine in legendâ in commemoratione Animarum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [36] - 32

rum, ut probet dari purgatorium, speciatim autem propugnet Lindenbrogius in Chronico Caroli M. fol. 255. 270. jure summo tamen alii, moti infinitis iisque absurdis contradictionibus & erratis historicis, utramque ibi paginam facientibus, totum illum librum fabulosum esse censent: speciatim sic judicant Possevin. appar. sacr. verb. Turpinus. Baron. annal. tom. 9. ad ann. 812. n. 18. Molan. annot. in Usuard. Martyrol. Jan. 28. Joan. Wolffius cent. 9. memor. lect. ad ann. 840. Hotoman. in Francogall. c. 5. Marq. Freher. in Tr. de statura Caroli M. Camer. cent. 3. Hor Subcisiv. c. 14. Janus Douza in Annal. Holl. Ubbo Emmius de libert. Fris. Pontan. l. 3. orig. Franc. c. 1. Crus. part. 2. lib. 1. c. 8. hist. Svev. Mariana lib. 4. hist. Hispan. c. 1. Joh. Pineda part. 3. hist. Eccles. Magdeb. centur. cent. 6. c. 10. Papinus Maslonus in Gall. Annal. Meibom. in not. ad Witichind. lib. 2. in pr. aliique plures, quos commemorare longum foret: ut planè frustrà sint, qui hinc emendicant suos Rolandos & Carolum, non rebus gestis solùm Magnum, sed staturâ quasi & barbâ quoque maximum. Ejusdem cum Turpino ordinis censeri debent *Romanenses*, sive *Romanzi*, aut Romans, (sic certi apud Italos poëtæ historicique jam olim dicti fuerunt) qui fabulis suis vera præfigentes nomina, posteris non tàm errandi, quàm turpiter labendi occasionem præbuerunt: inter quos familiam ducit *Ludovicus Ariostus*, ex quo historiam de orlando Furioso recitat Vasquetz JC. Hispanus in præf. illustr. controv. n. 62. ab eoque deceptus

Chalcondeles lib. 2. de reb. Turc. orlandi ſive Rulandi fabulam, velut veram hiſtoriam, incauto lectori propinat. Similis farinæ ſcriptores arguit Franc. Petarcha de triumpho Amoris cap. 3. *Ecce illos*, inquit, *qui chartas implent ſomniis, Lancellottum & Triſtanum, & reliquos errantes. Vnde oportet vulgum errantem & ſuſpenſum eſſe.* Item Ludovicus Vives lib. 2. de cauſ. corrupt. artium ſic loquens *quidam ſatius ducunt libros legere apertè mendaces & meris nugis refertos propter aliquod ſtyli lenocinium, ut Amadiſium & Floriſandum Hiſpanos, Lancilotum & menſam Rotundam Gallicam, Rolandum Italicum: qui libri ab hominibus vitioſis ſunt conficti, pleni eo mendacior um genere, quod nec ad ſciendum quicquam conferat, nec ad benè vel ſentiendum de rebus, vel vivendum, tantùm ad inanem quandam & præſentem titillationem voluptatis &c.* Hæc Vives. Addere hiſce licet fabellas Germanicas *de Ponto Equite, Valentino Equite, Duce Erneſto, pulchrâ Sidoniâ &c.* de quibus conſulendus Camerarius t. medit. hiſtor. c. 81. Nec aliò pertinent hiſtoria *Palmerini*, *Don Florizel*, ſimileſque quiſquiliæ, eodem loco habendæ cum *centum illuſtribus narrationibus Iohannis Boccacij*, viri aliàs docti & in lingva Etruſca diſertiſſimi; quarum fabularum inventio, ſimulque gloria ne ex aſſe ipſi Boccacio cederet, non dubitavit jam ante ſeculum Philippus Beroaldus in Comment. ad Appul. illum furti inſimulare, quaſi qui ex Aſino aureo fabellas aliquot antiquas, in ſuas centum novellas tranſtuliſſet. Eodem loco *Ogerij Dani fabulas* habet Joh. Raulinus apud Putherbeum lib. 2. de

toll.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [38] - 34

toll. mal. libris, addendo (secundum propriam scilicet loquendi formulam) autorem esse damnatissimum. Quod elogium eodem jure tribueris *Francisco Rabelesio*, authori Pantagrueliſmi, quem profanum librum ut conscripsit Autor, cùm non posset amoliri querelas typographi, indignantis emtores non invenire certum librum medicum ad eundem Authorem referendum; ita à Putherbeo loco dicto, ipse *Rabelesius* vocatur *impius homo, atq; publicè suis nefarijs libellis pestilens.* Ne verò dum singulos hujus notæ authores recenseo, æquo evadam prolixior: triplices Mythologos dein considerabo, non alio elogio quàm fabulatorum dignos. *Primò* occurrunt ἐρωτικῶν Scriptores varij. De Heliodoro jam antè dixi: cui ex Græcis accensendus amplius *Achilles Statius*, (si non fallit Suidas, hic amplius Episcopus fuerit) *Auctor libri de Clitophontis & Leucippes amoribus*; *Eustathius*, *Prodromus & Longus in Pastoralibus.* De hoc autem scribendi genere non inconvenienter sic judicat ὁ πάνυ D. Salmasius in præfat. quam præmisit Tacito: *Vetus*, (inquit,) *omninò hoc scribendi genus fuit, ac à multis populis politioribus olim hodieq; frequentatum.* Versæ inprimis ista amatoria affectant, qua versu, sive rythmis in quibus excellunt. *Et videntur ab omni ævo fabulis ad hunc modum scriptitandis studuisse. In Asiam olim, quam regebant, fabularum Milesiarum originem intulisse, non fruſtrà credas. Arabibus certè hunc eundem scribendi morem ac genium dedere. Hi transmisêre Hispanis, à quibus nos porrò Galli accepimus.*

mus. Rectè existimat vir summus, Hispanos Gallis exempla dedisse amatoria tractandi: siquidem ipsa Amadisi historia, cujusmodò memini, & quam Hispaniæ suæ Vives vindicat, jam sub Henrico 2. in Gallicum idioma translata fuit à Gorræo Parisiensi, qui aliis ex popularibus suis præivit, ut lingvæ elegantiam ingeniique acumen in talibus argumentis profunderent; fidem facientibus, vel solis *Astræa voluminibus*, ad quæ varii suas symbolas contulerunt. Anglia quoque industriam suam hîc prodere voluit, & quantum citra aliarum nationum subsidium, in hoc genere præstare queat, vel sola *Philippi Sidnæi* Equitis ingeniosissima *Arcadia* docet. Germani & Belgæ, aliarum nationum insignia & laboriosa commenta in suam liguam transferre soliti, antiquis, ante annos non ita multos, conati fuerunt palmam præripere, scænæ adornando ficti argumenti comœdias, tragœdiasque, inter quas atque hasce historias, solutâ oratione scriptas, multum sanè non intereſt. *Secundò* referri huc debent illi, qui exemplo antiquorum Sophistarum, sive desumtis personis ex ævo antiquo, sive fictis, attribuerunt ejusmodi res gestas, quarum commemoratione, non minùs animi lectorum oblectari, qnàm ad virtutem excitari possent. Inter hos primos ordines ducit disertissimus ille *Xenophon*, de quo non sine ratione ita Scalig. in aureis prolegomenis, quæ præmisit operi de emend. temp. *Xenophontem*, (inquit,) *tàm constat historiam noluisse scribere, sed exemplum benè educti Principis proponere, quàm certum est, nihil in tota*

Cyri

Cyri pœdia verum esse, præter sola nomina, & nudam mentionem duorum, aut trium casuum, ut Babylonis captæ, Cræsi victi; sed tempora, series rerum gestarum, anni imperij Cyri septem, ut ab illo scriptore ponuntur, omnia, inquam, illa vera sunt, si vera sunt Heliodori Æthiopica. Viderat hoc suo jam ævo eloquentiæ Romanæ parens M. T. Cicero, qui sic disertè ad Q. Fratrem lib. 1. cap. 1. *Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus est, sed ad effigiem justi imperij.* Quod & ante Scaligerum seriò admodum monuerat Ludov. Vives lib. 5. de tradend. discipl. ut mirum sit, adhuc hodiè aliquos inveniri posse, qui ex Xenophontis historiâ præsumant non minùs historicas, quàm speciatim quoque chronologicas controversias decidere. Huc referri debet nunquam satis laudata *Vtopia Thomæ Mori* viri doctissimi, (in quem irrito conatu genuinum fregit Germanus Brixius) scripta & digesta ad modum historiæ; itidem Viri verè incomparabilis *Francisci Baconij Baronis de Verulamio fabula novæ Atlandidis*, historiam tamen mentiens, atque quatenus imperfectè hodiè extat, naturæ magis quàm Reipubl. arcanis reserandis serviens. Præ cæteris ingeniosissimi *Barclai* nunquam satis laudata *Argenis*, quæ sub fictis nominibus historiam ex parte veram exhibet: ut jam duobus seculis antè factum fuerat ab eo qui autor est Libelli *de astutia vulpeculæ Reinikes*, in quo licet vice hominum exhibeantur bestiæ; admodum graphicè tamen Ludovici XI. Galliarum Regis aula delineatur: sic ut libellus ille in omnes fermè linguas translatus, non merea

tut ſolùm puerorum (quos fabulæ delectant) manibus conteri, ſed quàm diligenter legi ab iis ipſis, qui ad clavum Reip. ſedent. Certè tanti putavit eum Hartmannus Schopperus, ut ſummam illius latinis verſibus comprehenſam, commentarioque verè politico illuſtratam, ſuſtinuerit ipſi Imperatori Maximiliano II. ſub titulo Speculi vitæ aulicæ dedicare. Occaſione hac, præterire non licet ipſum *Æſopum*, illum è Phrygia fabulatorem Sapientem, ut loquitur A. Gell. lib. 2. Noct. Att. cap. 29. quem ſub nomine *Lukmani*, ipſi Muſulmanni, reliquique orientales populi æſtimare, imò ſummo in pretio habere videntur, ut docet Cl. Hottingerus lib. 1. Hiſt. orient. c. 3. Certè Apollonius apud Philoſtratum lib. 5. accommodatiores ad ſapientiam eſſe docet, Æſopi Phrygii, quam cœterorum poëtarum fabulas: quòd quæ hi de Heroibus confingunt, audientium corrumpant aures, ad illicitos ac nefandos amores homines invitent, nec non divitiarum & Regnicupiditatem, uſque adeò ut ſe non delinquere arbitrentur, ſi imitentur Deos (ut Chærea ille apud Terent. Eun. act. 3. ſc. 5. visâ tabulâ, in quâ exhibebatur Jupiter, aureum imbrem in gremium Danaes immittens) Æſopus verò tanquam epulis lectores ſaturans, ex rebus parvis magna & ſublimia intelligere faciat, fabuloſoque ſermone propoſito, ex ipſo quid agendum ſit, quidque non agendum, oſtendat. Plures ex hoc genere ſcriptores commemorandi forent, ſi omnes recentiores quoque ad nomen citandi eſſent: quos tamen ſuperaſſe videtur

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [42] - 38

detur *Trajani Boccalini* acumen, in *lapide Lydio*, scripto ex parte Satyrico, in quali præiverat jam suo seculo Imp. *Iulianus ὁ παραβάτης*, scribendo *καισαρας*, sive librum fabuloso-Satiricum in priores Principes. *Tertio loco* inter Scriptores fabulosos commemorari debent, qui divina fabulis implicuêre. Ut, qui Deorum Gentilium visi fuerint scribere historiam, aut veriùs fabulas: qui iterum duplices, aut enim historias, sive fabulas de Diis nudè referunt, ut poëtæ, præ aliis *Orpheus*, *Homerus*, *Hesiodus & Callimachus* è Græcis, *Ovidius* è latinis poëtis: aut ampliùs hasce fabulas laborarunt revocare ad originem seu historicam seu naturæ. Quod ex antiquis, teste Cicerone, egerunt *Zeno*, *Cleanthes*, *& Chrysippus*, qui eodem teste in libb. de Nat. Deor. fabularum antiquarum expositiones in suis scriptis complexi fuerant, quæ tamen ad nos non pervenerunt. Istud ipsum fecêre *Orpheus*, *Musæus*, *Linus*, antiquissimi poëtæ, item *Pharnutus*, *Melissus*, *Lamiscus Samius*, *Dorotheus*, *Evantes*, *Euphorion*, (quem alii omittunt) *Damascius*, *Ponticus*, *Heraclides*, *Silenus Chius*, aliique plures, omnes Græci. Quomodo & Eusebius in incomparabili opere de Præparatione Evangelicâ memoriæ tradidit, Porphyrium etiam libros composuisse, in quibus fabulosas Deorum genealogias ad naturæ rationem & opificium perducere conatus fuerit, E recentioribus, præ aliis, cum laude idem præstiterunt *Iohannes Boccacius*, *& Natalis Comes*. Interim, quis non omnibus hisce narrationibus, quocunque

etiam ſcopo & inſtituto ſcriptis, præfigat illud Lucillij.

Pergula Pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Si quidem conſtat, hoſce omnes ex profeſſo, atque deſtinato conſilio, voluiſſe divinas res fabularum involucris involvere, ad majorem conciliandam authoritatem. Nam ut rectè dicit *Syneſius* in Calvitij Encomio, *Ridet ac deſpicit plebs, quod facillimum intellectu; opus verò ei narratione fabuloſa.* Præter hæc occurrunt ſcripta, in ſe quidem fabuloſa, quæ cùm tamen eo animo ab authoribus ſint ſcripta, ut gaudeant divina autoritate, illudque integræ nationes credant, jure merito ambigas, quantum iiſdem tribuere conveniat. Interim Lucillii verſiculum meritò præfigere quoque licet Mahumedis *Alcorano*, quem licet Muſulmanni omnibus aliis ſcriptis præferant, & parum abſit, quin Deo ipſi æqualem faciant, hiſtoriæ tamen ſacræ, quæ ibi tanguntur plurimæ, tàm denſis fabularum nebulis obducuntur, ut non ſolùm veritas obliteretur penitùs, verùm etiam cùm ratione, de toto illo libro ſic judicet Nobiliſſimus D. *Pleſſæus* cap. 33. *de verit. Relig. Chriſt. Ecquis ſapiens*, (inquit,) *Alcoranum bis tantùm legere ſuſtineat, niſi fortè aut ob ingens lucrum, aut per vim manifeſtam? Adeò abſurda, inepta, pugnantia loquitur (ut impia & blaſphema omittam) & ſomniis phreneticorum deliriisq; propinqua?* Specimen qui deſiderat, expendat modò ea, quæ congeſſit diligentiſſimus D. Hottingerus lib. 1. orient. hiſt. cap. 3. Nec aliud cenſendum de *Thalmude*, cui licet tantum deferant Judæi moderni, ut

auſint

ausint dicere, Deum quotidiè quaternas horas ejus lectioni tribuere, in eo tamen (teste eodem Plessæo d. l. c. 31. *non occurrunt nisi meræ ineptiæ, aniles fabulæ, impia commenta, pleraq; aut absurdiora quàm ut à pueris credantur, aut nequiora, quàm ut confingantur à viris, & quorum vel Diabolum inventorem pudeat.* Et quamvis non minùs Aleoranus & Thalmud insignem usum habere possint ratione antiquitatum & rituum pertinentium non minùs ad linguam Ebræam & Arabicam, quàm modernorum Judæorum & Saracenorum Religionem; imò quorundam quoque locorum Scripturæ illustrationi servire; neutiquam tamen præsidium inde sperare licet sive pro Ecclesiasticâ sive profanâ historiâ. Absit tamen idem existimemus de omnibus scriptoribus Arabibus & Judæis; quidam enim ex iis velut Historici, (si modò observentur debita κρίσεις, deinceps proponenda) per insignem usum veritatis historicæ studiosis exhibere possunt. Ad Alkoranum & Thalmud proximè accedunt *Aureæ Legendæ*, ut loquuntur, Sanctorum; prô dolor! in Papatu tantô tamen precio censeri solitæ, ut ferè ipsi Scripturæ θεοπνέυςῳ adæquentur, si non ab imperito quoque vulgo præferantur. Olim in Ecclesiâ Orientali, certis diebus (ut observatum fuit à doctissimo Meursio in Glossar. Græco-Barbaro in voce λαυσαϊκὰ) prælegi solebat historia Lausaica, complectens vitas aliquot Sanctorum, atque temporibus Theodosij M. scripta à Palladio Galatâ, dedicata autem Lauso præ-

fecto, à quo nomen habuit, posteà Simeon Metaphrastes circa ann. 860. (ut observat non inconvenienter Baron. in Annal.) Græcè secundum diem mensium vitas Sanctorum digessit; sed, ut verissimè Bellarminus observat in Catalogo Script. Eccles. multa addidit ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Quod est judicium quoque viri solidè dicti, *Claudij Espencæi* Doctoris Parisiensis Comment. in 2. epist. ad Timoth. c. 4. digress. 21. ubi rectè judicat, vitas Methaphrastis multis scatere quisquiliis, licet eas præter *Laur. Surium* in spisso opere *de probatis Sanctorum historiis*, in opere ejusdem argumenti tom. 5. 6. 7. exhibuerit Moysius Lippomanus. Stylo latino (falluntur quippe qui Græcè scripsisse existimant) jam sub Valentiniano Imp. idem egerat *Ioh. Cassianus*, vir cætero quin non per omnia orthodoxus, evulgando XXIV. libros Collationum cum Patribus in Ægypto habitarum; quod opus Antoninus Archiepiscopus Florentinus p. 2. hist. tit. 10. cap. 10. §. 11. vocat vitas Patrum in Ægypto compertas. Ex his collationibus magnam partem desumtæ sunt vitæ Patrum, falso Hieronymo Stridonensi adscriptæ, ipso Bellarmino teste lib. de Script. Eccles. quas Possevinus in apparatu sacro, existimat commodiùs referendas esse sive ad Evagrium Pontificem, sive ad Petronium Bononiensem. Certè de iis sic judicat Espenc. l. d, *Non carent narrationibus parùm verisimilibus vitæ Patrum, Hieronymo, cui falsò adscribuntur, minus dignæ.* Et Melchior Canus lib. 2. Loc. Comm.

Comm. c: 6. *Gelasij testimonio eorum impudentiam retundimus, qui harum rerum Autorem Hieronymum promulgarunt, quos nemo nisi rudis atq; elinguis ederet.* Hosce duces secutus fuit *Iacobus de Viragine*, malè vulgò de Voragine dictus, Episcopus Genuensis, autor historiæ Longobardicæ, quæ vulgò *Legenda aurea vel Speulum Sanctorum* appellatur. De quâ historiâ vir subactissimi judicii Ludovicus Vives lib. 2. de caus. corrupt. art. judicat, quòd scripta sit ab homine ferrei oris & plumbei cordis. Certè ipse Vicelius quoque in præfat. sui Hagiologii agnoscit, in hoc opere multa incerta atque fabulosa occurrere. Et tamen ante Lutheri exortum, nullus liber sæpius fuit descriptus, fidem facientibus Indicibus Bibliothecarum, in quibus MSS. Codd. notantur: Imò, vix dum caput erigente arte Typographicâ, certatim typis exscribi cœpit. Habeo in meâ Bibliothecâ Editionem Argentinensem anni 1492. & alteram Noribergensem anni 1517. Tanto scilicet Zelo, sub Cimmeriis Papatus tenebris, homines putidas & superstitiosas fabulas prosecuti fuerunt! Indignarer admodum mendacissimo mortalium Jacobo de Voragine, nisi invenisset plurimos, quos existimabat se tutò duces sequi posse. Siquidem Melchior Canus lib. 11. Loc. Theol. c. 6. prudenter animadvertit, non modò recentiores, minusque prudentes Authores (ut qui legendam auream texuerit) verùm graves etiam aliquos, eruditos, sanctosque Patres, in Divorum prodigiis sefefelliss; partim, dum inde veritatem petunt, ubi

rarò

rarò est eam invenire, nempè ex dissipatis pervagatisque rumoribus ; partim dum insulserunt fidelium vulgo, atque esse licitum historiæ scriptoribus crediderunt, ea pro veris scribere, quæ vulgò vera haberentur. Atque dein idem Canus huic ordini asscribit Gregorium M. & Bedam alterum in dialogis, alterum in Anglorum historiâ. Ad quos jure summo poterat adjunxisse Damascenum. Nisi eum fortasse è illorum numero esse censeret, qui non solùm aliorum sermone quædam acceperunt, sed ipsi quoque cuderunt mendacia : & ea de Divis scripserunt, quæ animis scribentis dictitabat, licet neque vera illa neque verisimilia, ut eodem loco idem Canus loquitur. Nec aliud existimandũ de *martyrologio Vsuardi sive Isuardi* Bedæ coætanei, quod licet celeberrimus D. Vossius existimet extare non exiguo historiæ Ecclesiasticæ commodo, multis tamen quisquiliis scatere, fatetur Espencæus loco aliquoties citato ; atque agnoscit, dum passim censuram stringit, ipse Baronius, notis ad Martyrologium Romanum falsò, ut jam antea dictum, ascriptum Hieronymo ; hoc siquidem ut & Bedæ martyrologium adauctum à quodam Floro, secutus fuit Usuardus prout ipse fatetur. His addas Autorem Anonymum *Passionalis de Sanctis*, in quo multa condemnat tùm Molanus, quondam Theol. doctor & Professor in Acad. Lovaniensi, tùm editor illius Molanique collega Joh. Hesselius in Censurâ, quam libro addidit. Ille autem expressè ait, non mirum esse, quòd in illo passionali habeantur apocryphæ historiæ, quod

quòd facilè eò pervenire potuerint eæ hiſtoriæ, quas Catholici illius regionis apud mendaces Græcos reperiebant. Alio quoque loco non habuerim plerosque Autores, quos *Laurentius Surius*, inſeruit ſpiſſis ſuis voluminibus *de probatis ſanctorum vitis*, cujus exemplum ſecutus *Henricus Caniſius* ſuis Tomis antiquæ lectionis, plurimas Sanctorum vitas, à ſe quaſi primitùs è tenebris erutas, at ejuſdem furfuris, inſeruit. Certè ſi quis alius, adjici hiſce debet *Barthol. de Piſis*, Author, (ut creditur) nugaciſſimi & mendaciſſimi, nec non blaſphemi libri *de conformitatibus Franciſci de Aßiſio*, quem Lutherus jam anno 1537. cùm quædam ex eo excerpta linguâ Germanicâ exhiberet, condecorat titulo Alcorani Franciſcanorum: non abſimilia de Dominico ſancto quoque haberi ſolito, referunt *Antoninus in Chronico*, & *Vincentius Belluacenſis* in ſpeculo hiſtorico, aut verius fabuloſo. Amplector de utroque judicium Melchioris Cani Epiſcopi Canarienſis ordinis Prædicatorum lib. 11. loc. comm. c. 6. ubi expreſsè ait, non tàm illos dediſſe operam, ut res veras certaſque deſcriberent, quàm ne nihil omninò præterirent, quod ſcriptum in ſchedulis quibus libet reperiretur. Denique iis, quos memoravi, pilo meliores non ſunt *Iohannes Cæſarius Heiſterbachenſis*, & *Thomas de Cantriprato*, Scriptores hiſtoriæ quaſi ſanctæ, cùm ſint fabuloſiſſimi. Ut verò candidiores, (quemadmodum vidimus) ex ipſis Pontificiis, attendendo primum hiſtoriæ πρεσβύτερον, de quo hactenus agimus, hæc ſimiliaque ſcriptorum nugamenta, non dubitarunt

runt fabulis accenſere ; ita mirandum ſummopere, quos adhuc hodiè in Papatu inveniri poſſe, qui adverſus veritatem ita frontem perfricuerint, ut non ſolùm auſint velut fide dignos Hiſtoricos commendare eos, in quos obiter digitum intendi ; verùm ſimiles quoque pueriles fabellas, de miraculis hujꝰ illiuſve Sancti, aut imaginis procudere, ſimplicique popello obtrudere. Venia concedi poſſet iis, qui præ ἀῤῥωſίᾳ διάνοιας idolomania excœcati, bonas horas dilapidant in conſuendis fabellis, vanioribus ac in ſomno vidit Luciani Gallus : at Juſtum Lipſium illud Muſarum corculum, ſtylum ſuum commodare conſignandis miraculis Divæ quaſi Virginis Halenſis & Aſpricollis ; atque Svadæ medullam, Erycium Puteanum, bonas horas dilapidare in deſcribendâ Divâ, ſcilicet Virgine Bellifontana, & alterâ Divâ Thenenſi virgine in lacu, quis femur non feriat? Utrumque tamen impudenter mentiendo & audacter fumos vendendo ſuperavit longè *Horatius Turſellinus* Jeſuita Romanus, alias non indoctus & diſertus in Lauretana hiſtoria, excuſa primitùs Moguntiæ anno 1590. & ſingulari privilegio Clementis VIII. Roman. Pontif. confirmata. Cretenſis hic Proconſul (ut guſtulum duntaxat impudentis audaciæ exhibeam) non erubeſcit credulo lectori narrare (lib. 1. hiſt. c. 1.) domum θεοτόκου Virginis funditùs cum ſimulacro ipſius, è Galilæa Angelorum miniſterio per aera tranſportatam primùm eſſe in Dalmatiam ; atque inde ſecundò

(cap.

(cap.5.&6.)post 5.menses in Italiam,in Pyceni silvam: unde tertiò (cap.7.) post octo menses, in collem duorum fratrum: postremò,(cap.8.) inde post paucos menses, in eum collem, ubi nunc visitur, translatam; atque venienti (cap.9.) domicilio arbores obvias velut venerabundas inclinasse se: ac deinde pronas perstitisse, quo ad ævo, ventis, ferro procumberetrent. Si quis fortè in gratiam Jesuitæ dicat, eum antiquos scriptores secutum fuisse, respondebo cum doctissimo Matthiâ Berneggero (hic post Petrum Paulum Vergerium, Episcopum olim Justinopolitanum commentum de translata camerâ Deiparæ validissimis argumentis retulit) figmentum hoc cum sexcentis aliis tum enatum fuisse, quo tempore tàm de literarum elegantiâ quàm de veritate περιπλογία triumphabat. Plura circa περιπλεον primum (jam æquo prolixior fui) non addo: optarem modò, dignarentur Critici,aliique qui ex antiquis historicis defæcatiorem historiam colligere laborant; (antequam aliquos, tanquam fide dignos historicos pariterque ut assiduos in testes adoptarent) quàm diligenter non solùm expendere, quo animo ij historiam scripserint; verùm etiam quænam habuerint suæ narrationis præsidia: quæ si nulla offendant (de hisce præsidiis postea) etiam non deberent fabulam eodem loco cum veris historiis habere. Interim non negaverim in historiis fabulosis, sed ab autoribus ad fucum veritati faciendum procusis, quædam quæ cum Veritate con-

consentiant, sœpe occurrere, quæ ab aliis, quæ fabulosa, secernere tamen non potest nisi is, qui in hac crisi instituenda circa regulas postea proponendas, quàm exercitatus fuerit. At transeo ad κριτήριον *secundum*, quod tale: Scriptoribus suppositiis, & aliorum autorum nomina mentibus, quàm ad quos reipsa referri debent, haud temerè fides adhibenda est. Si enim fas non est alienos fœtus supponere, licet hoc olim lucri causa facti tatum fuisse Plautus innuat Truc. act. 2. sc. 5. flagitium quoque est libros, fœtusque ingenii tales adjudicare viris celebribus, quales si sibi ostensi fuissent, uni Vulcano adjudicassent. Interim verum est illud Erasmi declar. 91. ad cens. Theol. Paris. *libris falso celebrium virorum titulo commendatis scatent omnia.* Ne ipsa quidem Theologia jam olim immunis fuit ab abortivis hisce fœtibus. Imò vixdum enascente Ecclesiâ Christianâ, fraudulentos quosdam operarios in vineâ Domini, Pauli Apostoli nomine literas conscripsisse, innuere videtur, quando 2. Thess. 2. v. 3. monet Thessalonicenses: Ne subitò à mente dimoverentur, aut terrerentur, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam à se scriptam. Ut mirum haud sit (vid. Athanas. apolog. ad Constantin.) Arrianos scripsisse literas ad Constantinum sub nomine Athanasij; & Eutychianos (observat Baronius in annal. ad ann. 553.) evulgasse epistolam in Cyrillum Alexandrinum jam defunctum, sub nomine Theodoreti,

doreti. De ſuppoſititiis hiſce Theologorum antiquorum fœtibus, nihil moneo ulterius, quòd in iis delegendis præclaram præ aliis operam dederint viri ſummi D. *Rivetus in Critico ſacro, & Cocus in Cenſura quorundam veterum ſcriptorum Theologorum.* Pauca duntaxat de hiſtoricis quibuſdam monere eſt animus, quo regulæ ſua conſtet ratio. Nam ſi licuit Bellarmino dicere lib. 2. de Rom. Pontif. c. 9. *Hiſtoria Lini verè conficta eſt, ſi conficta eſt, non eſt ullius autoritatis*; nobis etiam longè modeſtius licebit dicere: Scriptoribus ſuppoſititiis non eſſe temerè fidem ad hibendam. At, ut ad hujus ordinis ſcripta hîc uſum habentia, accedamus: *Ciceronis* circumfertur *conſolatio de morte filiæ*, hiſtorias complures attingens, quam etſi velut genuinum Ciceronis ſcriptum Carolus Sigonius tueatur, ſuppoſititium tamen fœtum eſſe multis argumentis evicerunt J. Lipſius Anton. Riccobonus, & Janus Guilielmus. Idem exiſtimandum eſt de *ejusdem oratione, quâ fingitur reſpondiſſe cuidam Criſpi Saluſtii invectivæ.* Nam quamvis non ſit eundum inficias, aliquando acerbiori oratione Saluſtium excepiſſe Ciceronem, neutiquam tamen verosimile eſt, hunc autorem eſſe iſtius reſponſoriæ Orationis, quæ hodiè vulgò cum genuinis Saluſtii ſcriptis excudi ſolet, prout rationibus liquidis adhibitis oſtendit Barthius. Præcæteris verò notandi hoc nomine veniunt ſcriptores duobus tomis *à Ioh. Annio Viterbienſi*: Beroſus ſcilicet Manetho, Metaſthenes, Fabius Pictor, Myrſilus, Cato de originibus, aliique, quos licet genuinos ſcripto-

res esse persvadere allaboret in suâ Italia Albertus Leander, Ludovicus tamen Vives, & Jos. Scaliger, pluresque alii viri docti ex orchestra, citati à Cl. Vossio l. 3. de hist. Lat. indignantur mendaci impudentiæ Annianæ, quòd libros à se confictos ausus fuerit condecorare titulis antiquorum historicorum, è quorum monumentis hodiè nihil superest, præter pauca fragmenta apud Photium, è diametro adversantia iis, quæ Annius supposuit. Esterquilino Anniano Bernardinus Baldus nuper collegit Antiquitates Etruscas, anno 1637. Florentiæ evulgando volumen typis perquàm elegantibus, cujus hæc inscriptio: Ethruscarum Antiquitatum fragmenta, quibus urbis Romæ aliarumque gentium primordia, mores & res gestæ indicantut, à Curtio Inchiramio reperta Scornelli prope Vulterram, anno salutis 1637. Etrusco vero CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ CCCCXCV. quæ antiquitatis quasi κειμήλια licet nonnullis imposuerint, ex meris tamen impostoris consuta esse facilè subodorari possunt omnes, qui nasum habent. Sic ut liceat cum ratione iis præscribere ea, quæ de Annianis opusculis Pererius Jesuita habet lib. 11. Comment. in Dan. p. 541. *Valeat & in perpetuum valeat hæc Chronologia Anniana, & quotties à viris doctis profligata & jugulata est, jaceat in posterum sempiterna hominum oblivione sepulta, nec sit posthac qui eam exhumare, & ad fidem aliquam atq; autoritatem, quasi ad vitam revocare audeat, sat sit, adhuc eam, cùm non erat benè nota, imposuisse multis, nunc de-*

tectis

tectis atq; in apertum profligatis fucatis ejus mendaciis & fallaciis, si quem circumvenerit ac deceperit, nimis profectò stupidum ac vecordem eum fore necesse est. Alio quoque loco cum hisce Volusij annalibus haberi non debet *Dates Phrygius*, quem ex Græco à Cornelio Nepote translatum fuisse multi lepidè nugantur: nec aliud censendum de *Dycti Cretensi*, quem & Septimus Romanus vertisse creditur. His addantur *Actus Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ. Liber de infantia Salvatoris, de Nativitate S. Mariæ, & obstetrice. Actus Theclæ & Pauli Apostoli.* Item *Passio Petri.* Similiter *Iohannis Apostoli vita* per Prochorum. Lini libellus *de passione Petri*, & Pauli Babylonici liber *de gestis Apostolorum*; atque hujusmodi libelli plures non magni pretij, olim ab impostoribus compositi, quos licet primitivæ Ecclesiæ antistites carbone notarint, exuerintque autoritate Canonicâ, tanquam scripta Apocrypha; multis tamen adhuc hodiè persvasum est, minimam iis concedendam esse autoritatem historicam; qui tamen mihi videntur oppidò insanirè. Mirum verò, quâ impudentiâ etiamnum hodiè quidam non erubescant falsarii esse, atque in hac luce scientiarum, procudere nova figmenta, iisque non solùm authorum antiquorum, verùm etiam recentiorum, sed præ cæteris celebrium nomina præscribere. Erasmus Roterodamus noster in Catalo. lucubrat. suar. ad Joh. Abstem. tom. 1. conqueritur, quòd se vivo Theologus quidam Dominicanus, Lutetiæ sub suo nomine sustinuerit quædam evulgare ad fidem conciliandam Pontificiæ

religioni. Ita & nuper admodùm, homo quidam gente Hiſpanus, lepidas nugas procudit & vendere laboravit ſub nomine Flavii Dextri. Idem exiſtimo *de Annalibus* (dubium an bellum & Inſulatorum efferatorum ante paucos annos rabies, eos non aboleverint) qui dicuntur latere *in Hibernia*; certè Thomas Dempſterus natione Scotus, vir clarus, ridet eos quibus perſuaſum eſt, in iis reconditos eſſe ſingulares antiquitatis theſauros. Sed ipſis quoque Scriptoribus genuinis, quædam ad modum laciniarum ſuppoſititiarum jam olim aſſui conſuevere. Exemplo ſit vel ſolus Aimoinus Francicæ hiſtoriæ præclarus autor. Nam, ut ut æſtimetur quoque Aimoinus, ipſo tamen Bellarmino teſte, ulterius non perduxit hiſtoriam, quàm ad annum à N.C. 840. atque reliqua deducta uſque ad annum 1165. commodiùs ad plures continuatores diverſæ ætatis, quàm ad unum referuntur; prout eruditè obſervavit Ranch. lib. 1. var. lect. c. 15. Miretur verò quis non ſine ratione Bellarminum adeò ſui potuiſſe obliviſci, ut in Appendice libb. de ſummo Pontif. c. 8. Aimoini autoritate ex lib. 5. hiſt. (qui neutiquam ad eum referri poteſt) laboret atterere fidem Arnulphi Epiſcopi Aurelianenſis, qui dixerat Papam eſſe Anti Chriſtum. Plura pro illuſtratione hujus κεφαλαίου non adduco, quòd ad alia accedendum ſit. Sit ergò *tertium*, quod ſequitur: Quæ ſive per exſcriptorum in curiam, ſive per audaciam quorundam Criticorum, leſe gerentium pro correctoribus bonorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [56] - 52

bonorum autorum, apud Historicos mendosa sunt, neutiquam astruendæ fidei historicæ servire possunt. Nam si errata, quæ viventibus etiamnum scriptoribus in eorum scripta irrepserunt, eos, & quidem jure merito, gravissimè commoverunt, atque non solùm erroneam opinionem pepererunt, verùm ipsis quoque scriptoribus maculam ignominiæ parum quin inusserint; quid non existimandum est, partim per exscriptorum incuriam, partim per eorundem audaciam, evenire posse scriptoribus jamdiu compositis? Non possum quin hac occasione exhibeam querelam Viri celeberrimi Desiderii Erasmi, occurrentem in epist. 5. Id. Jan. anno 1535. scripta ad Petrum Curtium Rhetorem Romanum, quam unà cum aliis evulgavit Cl. Scriverius. Ita verò ibi loquitur Bataviæ suæ lumen: *Nuper cùm inter imprimendum excusores aliquot conquesti fuissent, me sibi Xenia nondum persolvisse, exortus est quidam inter eos cæteris vinolentior, qui profiteretur se pœnas à me exacturum, ni darem: atq; id profectò veterator tàm egregiè effecit, ut aureis nummis 300. redimere eam ignominiam voluissem. Cùm enim in Viduâ meâ, quam Serenissimæ Hungariæ Reginæ dedicaveram, ad laudem cujusdam sanctissimæ fœminæ, inter alia liberalitatem illius in pauperes referrem, hæc verba subjunxi:* Atque mente illâ usam eam semper fuisse, quæ talem fœminam deceret. *Unde scelestus ille animadvertens, sibi vindictæ occasionem oblatam esse, ex* mente illâ, mentula *fecit. Itaq; volumina mille fuere impressa. Quid i-*

gitur mirum, si istorum hominum quispiam vel per errorem vel sciens volens q3 fefellerit. Hæc ibi Erasmus. Deprehenduntur verò Historici magnam partem corrupti, & parum quin deformati, quando aut numer⁹ aliquis exprimẽdus venit, aut nomina propria complura; siquidem ut hæc notis compendii ergo exprimi consueverunt; ita occasione eorundẽ expeditior errandi offertur occasio; quemadmodum in infinitis posset ostendi exemplis, si liberet crisin, ab aliis hîc neglectam, exercere. Unum exemplum sit instar omnium. Uldr. Zasius in Catal. leg. antiq. & Beroaldus in Suetonium, at quanti Viri! famosam illam legem Papiam Poppæam, vocarunt Papiam Pompeiam, quòd neglectis fastis Capitolinis, quos in consilium adhibere præ cæteris debuissent, sequerentur mendosos Isidori Codices. Ne verò hîc impingat aliquis, omnibus modis opera primò dari debet, ut quàm emendatissimi habeantur Codices. Deinde, si fortè quidam in talibus aut etiam similibus oboriantur scrupuli, conferre convenit historicos plures, atque secundum ea, quæ deinceps proponemus, dispicere, quibusnam præ aliis fides deferri debeat. Alias in hisce quasi circumstantiis historiæ, accuratiores quoque & primæ notæ historici errare, si non quàm graviter quoque impingere solent. Quod quia duas maximè ob causas accidit, non abs re fuerit, easdem aliud quasi agendo tetigisse. I. Quando de prælio aut oppugnatione aliquâ agunt Historici, quo victoriam à parte victoris illustriorem reddant, persuadere ut plurimum volunt, eum

non

non ſolùm citra pulverem, verum etiam ἀναμαχὶ victoriam obtinuiſſe, atque ut exaggerare admodum ſolent numerum cæſorum hoſtium; ita vix paucarum centuriarum interitùm concedunt victori. Extat in hunc ſenſum non inſubidus locus Oroſij lib. 4. hiſt. c. 20. quem non poſſum non exhibere. Ita ergò ille, agens de primo bello Macedonico, loquitur: *Victi Macedones caſtra amiſerunt, 8000. hoſtium eadem die caſa, 5000. capta Polybius ſcribit. Valerius dicit 40000. trucidata. Claudius verò 32000. interfecta commemorat. Sed hæc varietas ſcriptorum utiq; fallacia eſt. Fallaciæ autem cauſa profectò adulatio eſt, dum victoris laudes accumulare, virtutemq; patriæ extollere, vel præſentibus vel poſteris ſtudent: Alioquin ſi inquiſitus non fuiſſet numerus, nec qualiscunq; fuiſſet expreſſus. Quòd ſi glorioſum eſt Duci & patriæ, plurimos hoſtium peremiſſe, quanto magis lætum patriæ & Duci beatum poteſt videri, ſi eorum vel nullos vel pauciſſimos perdidiſſe. Ita lucidiſſimè patet, quâ ſimili impudentiâ mentiendi, quà occiſorum hoſtium numero adjicitur, ſociorum etiam amiſſorum damna minuuntur, vel etiam omninò reticentur.* Hæc Oroſius. 2. Ratione nominum propriorum contingit ſubindè per negligentiam, diligentiſſimos quoqve labi hiſtoricos, dum res geſtas aliis perſonis aſſignant, quàm ad quas illæ referri debent. Atqve hîc contingit plures ſæpè delinqvere dum poſteriores citra examen ſequuntur illud, quod à prioribus dictum fuit, patet ex ipſo Cicerone, cujus hæc verba occurrunt lib. 6. ad Attic. ep. 10. *O ἀνισορρσίαν turpem! Nam illud de Flavio, & Faſtis, ſi ſecus eſt, commu-*

ne erratum est : & tu belle ἠπόρησας, & nos publicam propè opinionem secuti sumus; ut multa apud Græcos. Quis enim non dixit, ἔυπλιν τὸν ἧς ἀρχαίας ab Alcibiade, navigante in Siciliam, dejectum esse in mare? redarguit Eratosthenes, adsert enim qvas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcircò Duris Samius, homo in historia diligens, quòd cum multis erravit irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur jacet Theophrastus, id à Timæo tuo familiari reprehensum est? In utrumqve hoc *ἀνισορησίας* exemplum, à Cicerone adductum, arguensque injuriam quorundam Græcorum, magis circa propria nomina, quàm ipsius rei gestæ relationem, diligenter inquisivit Clariss. D. Vossius lib. de arte hist. c. 9. Similia *ἁμαρτήματα μνημονικὰ* in ipso etiam Cicerone notari possunt atqve ab aliis factum est: Ita Cornelius Nepos quoqve scriptor cæteroqvin accuratus, cõfudit per erroré, Miltiadem Cimonis filium, cum Miltiade Cypseli, sive Miltiadem nepotem cum Miltiade patruo, quod à Pausaniâ quoque factum fuisse in Eliacis prolixè probavit vir Clariss. Janus Rutgers. lib. 1. Var. lect. c. 9. Præterea Justinus lib. 33. hist. c. 1. dicit, Consulem Sulpitium, bello Macedonico secundo, graves leges victo Perseo dedisse. Cujus tamen Sulpitij neqve in fastis Capitolinis, neqve Cassiodori ulla mentio occurrit. Atqve pro eo substitui debet P. Licinius, qui consul fuit cum C. Cassio Longino, ut Livius l. 42. & Plutarch. in Apopht. referunt. Sexcenta ejusdem commatis errata, ab aliis magnam partem non-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [60] - 56

nondum obſervata, non minùs in antiquis quàm in recentioribus hiſtoricis exhibere poſſem, ſi liberet hinc gloriam, ut multis hoc ſeculo moseſt, venari. Nuper quis vir non indoctus, prolixum indicem talium erratorum ex hiſtoriâ accuratiſſimi cæteroqvin Thuani, collegit. Veniam autem vir illuſtris ex parte meretur, quòd inter aulæ ſtrepitus, & quotidianas curiæ moleſtias hiſtoriam univerſalem ſcripſerit, nec tàm in rebus patrijs quàm externis, deſtitutus ſufficientibus præſidijs, alicubi cæſpitet. Illud vetò neutiquàm ferendum, quòd accuratus aliàs hiſtoricus Onuphrius Panvinius, agens de populari noſtro Adriano VI. Pontif. Rom. hæc habeat in Chron. Rom. Pontif. ad ann. 1522. *Adrianus VI. Trajectenſis Flander, vel Brabantinus.* Quod eùm legerem, faciliùs veniam dedi, cuidam Germano, qui in continuatione Chronici Euſebiani excuſâ cùm aliis Baſileæ anno. 1536. ad ann. 1522. ſic ſcribit: *Adrianus VI. patria Derthuſienſis Germanus.* Interea errata hæc, quæ peperit profunda ignorantia Geographiæ, illi, hoc docto ſeculo corrigere poſſunt, qui nondum ære lavantur. Pergo ad *quartum κεφάλαιον*: Illis hiſtoricis vir prudens facilè non credat, quibus gentile quaſi eſt, mentiri; niſi fortè ea, quæ referunt, ab aliis quibus tantò magis fides deferri poteſt, confirmentur. Hac notâ, haud ſecus atque ſi à Cretenſibus ſuam originem traxiſſent, jam olim deformati fuerunt Græculi. Nam præterquam quòd jam olim ſua ætate dixit Euripides in Iphigenia:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [61] - 57

nia : *Fidem Græcia non novit* : Notum illud Juvenalit sat. 10.

—— & quicquid Græcia mendax
Audet in historiâ.

Quo pertinet illud ejusdem sat. 14.

Græcia si vera est.

Sic & Quintil. lib. 2. orat. inst. c. 2. scribit, Græcis historicis plerumque poëticæ similem esse licentiam. Verbum etiam est Aurelii Victoris in Caligulâ : *Græcorum dicto, queîs augendi omnia studium est.* Quomodo & Tullius orat. pro Flacco, & epist. ad Q. frat. Græcos negat coluisse veritatem. Eoque solenne fuit jam olim Græcis, res suas nimium quàm exaggerare. Testis Salustius in Conjur. Catilin. *Athenienſium res gestæ, sicut ego existimo, satis amplæ mugnificaq; fuere, verùm aliquando minoris tamen, quàm fama feruntur : sed quia provenêre ibi magna scriptorum ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur : ita eorum qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantùm verbis ea potuere extollere præclara ingenia.* Cui astipulatur ipse Thucydides, quando de suis Græcis lib. 1. ita scribit : *Verum ex dictis, certißimis signis talia quis existimans potißimum, quæ narravi, non erraverit. At non si magis credat vel poëtis hæc in majus extollentibus, vel scriptoribus qui svaviora potiùs auditu quàm veriora componunt, etsi nulla nitantur probâtione ; ac maximam partem spacio temporis ad incredibilem fabulositatem degeneraverint,* Hæc Thucydides. Parum verò foret, si Græci olim solùm suæ gentis historiam mendaciis collutulassent, eadem audaciâ, ausi fuerunt temerare externæ quo-

que

que historiæ illibatam veritatem. Non dissimulat Dion. Halicarn. quando lib. 1. Rom. Antiq. dicit. *Omnibus ferè Græcis vetus Romanæ Civitatis historia est ignota, & quædam opiniones non veræ, sed ex quibuslibet ac vanis rumoribus natæ multos deceperunt.* Ex Græcis præ aliis hoc nomine à pluribus seculis malè audivit antiquissimus eorundem historicus *Herodotus*, contra quem, teste Suidâ, librum prolixum scripsit Harpocration Ælius, quo probare laboravit ejusd. historiam confictam, & non nisi μυθολογίαν esse: de quo hoc etiam est judicium Ciceronis lib. 1. de LL. *Apud Herodotum* (inquit) *historiæ patrem & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulæ.* Quæ censura uti priori minus acris est, ita existimarim, celeberrimum hunc historicum in multis confregisse veritatis tesseram, partim præ ignorantiâ (sic rectè judicat Flav. Josephus lib. 1. adv. Appionem) partim, quòd Poëtarum more fabellis aspersis studuerit lectorem suum oblectare, ut censet Strabo lib. ult. Geograph. Interim utroque pollice amplector ea, quæ habet doctissimus Camerarius in præfat. eruditâ huic Scriptori præmissâ: *Ob fabulosas*, (inquit) *quidem narratiunculas, tantum abest, ut quasi mendacem incessi vituperariq; Herodotum debere putem, ut etiam, cùm & aptissimè illas inseruerit, & bellissimè concinnarit, & vetustissimè composuerit, admirandus, cumq; institutionem in singulis aliquam vitæ, consiliorum, actionum comprehenderit, eximiam gratiam quoque ab omnibus promeritus videatur.* Scio integros manipulos tùm incredibilium narrationum, ex hoc scriptore à pluribus collectos fuisse; sed iis pro-

prolixâ eaque eruditâ ac lectu dignissimâ Apologiâ occurit Henricus Stephanus, quâ probare laborat, nihil tàm absoni ab Herodoto proponi, quod non proximis quoque seculis potuerit deprehendi: quamvis non sit interim diffitendum, à Stephano multas è trivio fabellas, velut veras historias incauto lectori obtrudi. Sepositò Herodoto, valeat interim nostra regula apud eum qui cum judicio legit historiam. *Quintum κριτήριον* præcedenti proximum, hoc esto: Eadem cautela valeat circa Historicos, qui vixerunt, atq; scripserunt iis seculis, quibus mendacia & fabulæ veritati prævalebant; nisi constet eos supra ætatem surrexisse, atq; averruncatis fabulis, cum judicio veritatem amplexos fuisse. Quid enim refert, sive quis ingenii impetu, sive seculi torrente ad mendacia abripiatur? Per seculi quasi sui Genium, ad profunda falsi abrepti fuerunt omnes fermè Historici, imò alterius quoque ordinis scriptores, qui vixerunt seculo nono, decimo & undecimo; non diffitentibus iis ex Doctoribus Pontificiis, in quibus candoris & judicii guttæ aliquæ adhuc superfuerunt. Certè non solùm lego in Fascic. Temp. Werneri Roelevvinck à Laer ad ann. 914. *Monstrum habens caput caninum, & cætera membra sicut homo, præsentatur Ludovico, & benè potuit monstrosum statum significare hujus temporis, ubi homines sine capite, quasi canes latrando, hinc inde vacillabant.* Verùm etiam hæc occurrunt apud Baron. ad ann. 899. n. 1. Incipit annus Redemtoris 900. quo & novum inchoatur

choatur seculum, sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum. Nec alia mens Bellarmini, cujus hæc sunt verba in Chron. annexâ Catal. Script. Eccles. è regione anni 790. *Vide seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres, nulla concilia, Pontifices parùm solliciti de Ecclesia.* Si qui supra seculorum injuriam aliquatenus se sustulerint, fuerint fortè hi: *Lambertus Schaffnaburgensis, Benno* Autor vitæ Hildebrandi VII. Pontif. (alibi hujus asseretur authoritas) *Marianus Scotus*, (quem aliàs Pontificii Doctores moderni, ob Johannam IIX. Pontificem, admodum flagellant) *Hugo Floriacensis*, & pauci alii: qui omnes tamen inferiores sunt, quod ad authoritatem, Lamberto, primo loco adducto, cui hoc elogium perhibet Scalig. in libb. de emend. Temp. *Equidem miror in seculo tàm barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem, & in temporum computatione fuisse solertiam, ut & Chronologis nostri temporis pudorem aliquem exprimere possit, si aliquem sensum harum rerum haberent.* Non tamen abjiciendi reliqui historici coætanei, plures licet nævis deformes. Franciscus Balduinus lib. de instit. histor. non inconvenienter judicat, quando sic loquitur: *Conquerer Monachos postremis temporibus tantum sibi sumsisse; Sed ut imprudenter & stultè conficta & ineptè scripta ab iis multa esse fateor; sic nos illis non nihil debere agnosco, per quos factum est, ut eorum temporum aliqua potiùs quàm nulla extaret historia: quique, quo tempore illius curam alij abjecerant, eam & susceperunt derelictam.*

tam, & quoad potuerunt, susceptam sustinere coacti sunt, ac fortasse res erant, quæ melioribus magisq; politis Scriptoribus dignæ non erant. Hæc Balduinus. Eoque quo tùm hic, tùm præcedens Canon usum suum obtineat, perpetuò prudens historiæ lector, diligenter, subservientibus pluribus regulis, deinde ex ordine proponendis, arbitretur; quando scriptor, aut genti, aut seculo mendaci, plus quàm veritati detulerit. Porrò hoc *sextum* optaremus observari κεφάλαιον: Circa res vetustas, & à memoriâ remotissimas, maximè, quoties aut populi alicujus, aut urbis explicandæ veniunt origines, mirum quàm ineptiant multi ex antiquis & recentioribus historicis. Tetigit jam olim hoc Livius, in historiæ suæ præfatione sic scribens: *Quæ ante conditam condemdamve urbem poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat.* Hoc nomine admodum insectatur antiquiores ex Gallià historicos Albertus Crantzius, lib. 1. Saxon. c. 17. ubi inter alia hæc ei exciderunt: *Quid facimus superbiæ Gallorum, qui fabellas tales adorant in gremio: Nec tamen in fructuosum erit errores dimovere, in quibus commemorandis magno flatu se Gallici sonores & esse putant & gloriantur.* Nec sic de Gallis solùm judicat homo Germanus, sed idem planè existimat de popularibus suis Arnoldus Ferronus in præfat. hist. Gall. Nec aliud convenit judicare *de quinq; prioribus libris*

Diod.

Diod. Siculi Bibliothecæ, quibus ut complectitur ea, quæ ante bellum Trojanum accidere; ita non inconvenienter judicavit Ludov. Vives lib. 5. de trad. discipl. ratione scilicet habita horum librorum, Diodoro Siculo nihil esse nugacius: quamvis Plinius in præfat: dicat eum inter Græcos primum nugari desiisse. Hujus notæ scriptores complures circumferuntur, quibus ratione rerum à memoriâ remotissimarum nulla fides deferenda. Ex Frisiis notavit plures Vir Celebertimus D. Ubbo Emmius, quondam singulare hujus Academiæ & provinciæ lumen; qui rectè in Apologiâ adversus Suffridum Petrum & Furmerum observavit: Hanconem Fortemannum, Cappidum Staverensem, Occonem Scarlensem, Johannem Ulieterpium, & Alvinum Snecanum, non solùm Scriptores suppositititios esse, verùm oppidò quoq; decipi And: Cornelium, cum Furmerio, Suffrido, & Hamconio, quando rancidas fabulas de Principibus & Regibus Frisicis, descendentibus quasi â Frisone, Filio Adelis Phresiæ seu Parrhasiæ Regis in Indiâ ad Gangem, regnoque exuti à M. Alexandro, plenis loquentiæ pelvibus propinant. Idem existimandum de Autore Anonymo historiæ Brabantinæ, incipientis, usque à Brabone, Rege ex Utopiâ oriundo; item de Bekâ fingentis, Ultrajectum meam patriam originem & nomen suum debere Antonio Trium viro, dictamque fuisse Antoninam. Parum ab hisce recedunt, quæ post alios Gallicos scriptores in propatulo nugaces, de Francorum origine habent ipsi Ganguinus, Paulus Æmilius & alii quibus

bus si credimus, Trajani traxerint originem è Sicambriâ regione Thraciæ, à Trojanis verò orti sint Franci: quas indocti seculi fabulas, post Crantz. lib. 1. Sax. c. 18. & Herm. Comitem de Neuvenaer prolixè & solidè refutavit Pontanus lib. 2. orig. Franc. c. 5. & lib. 3. c. 2. & 3. ostendendo earum fabularum autorem Hunibaldum, intra 300. annos vixisse. His gemina sunt quæ de origine Saxonum & de Alexandri M. exercitu, occurrunt apud Witichindum, quæ non immeritò risu excipit Cranz. lib. 2. Sax. c. 31. Cujus hæc verba eodem spectantia & occurrentia in præfat. Saxon. non possum quin exhibeam: *Gentis* (inquit) *Saxonum primordia & originem, & (quas putant) antiquitates apud nostros relegentem, pudor occupat & confusio faciei, ita puerilibus fabulis & anilibus deliramentis omnia scatent, ut nihil in his sibi constet &c.* Et tamen origines Gentium atque illustrium familiarum vulgò tàm altè accersuntur, ut earum primordia non nisi meræ & putidæ sint fabulæ. Non inconvenienter Cranz. l. d. *In originibus Gentium ad arcam usq; Noæ ascendere, ut quibusdam videri ridiculum sit, sic aliis potest esse religiosum.* Ut præconio digna sit prudens modestia Maximiliani I. Imp. qui Stabium Historicum (testis est Cuspinianus) Genealogiam Archi Ducum Austriæ ad Noachum usque deductam, sibi offerentem, falsè irrisit. Pari ferè ratione non olim solùm, sed & hodiè in Veritatem peccari solet ratione narrationum è longinquis regionibus delatarum, ut liquet vel ex solis epistolis Japonicis Jesuitarum, de quibus ut & similibus fœtibus eorund.

patrum,

patrum, in vulgus notum est quid censeat Melchior Canus. Livij verba sunt lib. 6. hist. *Ac res cum vetustate nimiâ obscurâ, vel ut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur.* Quomodo & graphicus ille sannio Lucianus lib. de ver. hist. cùm plures conglobasset fabulas, de rebus quæ in longè dissitis regionibus accidissent, addit: *Si non credis illi, explora-tum abi.* Ex ordine considerandum *septimum κεφάλαιον*, quod his concipio verbis: Si constet Historicum inter scribendum suis serviisse affectibus, atq; aut amori, aut odio locum dedisse; fidem non merentur, quæ ex amore alicui attribuit, aut ex odio alteri detrahit, amoris speciem sæpè mentiente adulatione. Sarcasmo suæ ætatis historicos pungebat Junius Tiberianus, cum teste Flav. Vopisco Trebellium Pollionem tali oratione ad scribendam historiam invitaret: *Scribe, ut libet: securus, quod velis, dicas: habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur authores.* Nam ut gravissimus historicorum Tacitus monet lib. 1. hist. c. 1. *Incorruptam fidem professis, nec amore quisquam, & sine odio dicendus.* Præit ipse suo exemplo, sic enim de se lib. 1. annal. cap. 1. *Consilium mihi pauca de Augusto, & extrema tradere: mox Tiberii principatum; & cætera sine ira & studio, quorum causas procul habeo.* Rationem regulæ à nobis propositæ reddit Polybius, quando lib. 12. c. 6. sic loquitur: *Quemadmodum viri prudentes & cordati, quando inimicos volunt ulcisci, nequaquam illud primum considerant, quid ille dignus sit pati, qui cum iis res*

est; sed illud potiùs quod sibi facere conveniat: ita & cùm alicui probra dicuntur, non id primò est attendendum, quid inimicos audire conveniat: verùm id, ut summè necessarium, est potiùs cogitandum, quid nos deceat dicere. Illos verò qui irâ atq; odio cuncta metiuntur, necesse est temerè quidvis effutire, & in omnibus quæ dicant, extra modestiæ fines longè migrare. Hæc ibi Polybius, qui lib. 1. c. 14. jam ante sic dixerat: *Par est, ut vir bonus & amicorum & patriæ sit amans, atq; commune cum amicis adversus eorundem hostes odium gerat, eorundem amicos amore communi prosequatur. Verùm ubi historici personam aliquis suscepit; horum omnium illi obliviscendum; ac sæpè quidem de hostibus benè loqui, & summis ipsos ornare laudibus rerum scriptor debet, cùm id facta ipsorum postulant: nonnunquam verò reprehendere, vel maximè necessarios, nec sine probris vituperare, cùm ita fieri oportere, admissi in susceptis rebus errores monent.* Hæc iterum Polybius. Et tamen jam olim multi Polybianæ admonitionis fuêre immemores. Herodianus in præfat. historiæ notans varios errores, quos historici commiserint, hæc inter alia habet: *Alii privatis inimicitiis Tyrannorumq; odio provecti, aut in laudes Principum, civitatum, privatorumq; hominum immodicis assentationibus effusi, tenues per se res atq; humiles, scribendi artificio longè supra veri fidem sustulerunt.* Polybii ævo, ut ipse innuit loco postremò citato, hoc nomine malè audiebant *Philinus* atque *Fabius Pictor*; quorum ille Carthaginensibus, hic verò Romanis plus æquo addictus erat. Eadem notâ (teste Suidâ in Callias) signatus fuit Callias Syracusanus, cui exprobratum fuit, quòd Agathocli Sici-

Siciliæ tyranno, magnis muneribus historiam (τὴν προφήτην τῆς ἀληθείας) vendidisset. Ex latinis historicis hisce addas Vellejum Paterculum & Valerium Maximum. Quàm enim non ille domui Augustæ & Sejano adulatur? Hunc verò affectatam eloquentiam (à Scal. ad Catalect. p. 248. vocatur ineptus affectator sententiarum) eô direxisse, ut apud posteros in veneratione esse possit Tiberius, vel sola præfatio docet. Zosimo quoque, excœcato odio Christiani nominis, quis fidem habeat, quando de Christi professoribus loquitur? Quomodo & constat Socratem, Theodoretum & Sozomenum, quando de Juliano Apostatâ loquuntur, nimium concessisse odio forsitan non injusto. Bodinus meth. hist. c. 4. scribit de Paulo Jovio Episcopo Nucerino, celebri aliàs historico, eum sciviſse simulare falsa, dissimulare vera, eumque curita? Interrogatum, respondisse, amicorum gratiâ id à se factum. Candidiùs de eo judicat Lipsius in not. ad lib. 1. polit. Interim hoc certum, eum consuevisse gloriari, se armatum esse non minus aureo quàm plumbeo calamo, illo ad cœlum extulisse multos quoque terræ filios, sed benè de se merentes: hoc autem jugulasse viros summos, quòd ab iis negligeretur. Sed ne Bodinus (postea plura de eo ipso) nimium insultet homini Italo, audiat suum popularem virum gravissimum Arnold. Ferronum qui ita in præfat. Hist. Gall. Scriptores (*inquit*) horum temporum, & vulgares & eruditi passim res ita narrant, & contexunt involucris, ut rerum & verborum veritatis amicissimam

ſimplicitatem tegant; potentiorum ut auribus o-
mnia data, prudentes rerum æſtimatores intelli-
gant, totaque mente in eâ cogitatione curaque ver-
ſari videntur, ea demum, ut literis mandent, quæ
illis grata ſunt; & ad id, unde aliquis ſtatus oſtendi
poteſt, vela dant, ut quam lucem veritatis, vitæ me-
moriam, nunciam vetuſtatis hiſtoriam ſapientiſſi-
mi homines dixerunt, eam (quoad ejus fieri po-
tuit) artificioſam corruptelam mendacium diſci-
plinarum reddunt. *Hæc ille.* Porrò prudentis hi-
ſtorici eſt, arguere eum, quem videt affectuum tor-
rente abreptum fuiſſe à regiâ veritatis ſemitâ. Facit
huc illud Taciti lib. 16. annal. c. 6. *Poſt finem* (inquit)
*ludicri Poppæa mortem obiit, fortuita mariti iracundia, à
quo gravida ictu calcis afflicta eſt: neq; enim venenum
crediderim, quamvis quidam Scriptores tradant, odio ma-
gis quàm ex fide.* Sic & Polybius lib. 12. c. 6. arguit
Timæum, quòd præ iracundiâ & odio Dimochari
inclementiùs dixiſſet in hiſtoriâ. Hactenus ea pro-
poſuimus κριτήρια, ex quibus falſi argui poſſet hi-
ſtoria: ſed cùm longè facilius ſit mendacium circa
res, ante memoriam noſtram geſtas, detegere,
quàm verum invenire; deinceps quædam κριτήρια
ſunt proponenda, ex quibus liquere poſſit hiſto-
riam aliquam regulis veri conſentaneam eſſe. Sit
ergò *octavum* κριτήριον: Quod narratur ab ocu-
lato teſte, aut ab eo, qui aliorum relationes de
re aliquâ geſtâ cum judicio examinavit, ve-
rum à falſo ſecernendo, haud facilè in dubium
vocandum. Teſtem oculatum unum præfe-
ren-

rendum esse auritis decem, etiam Plautus in Trucul. monuit. Sed nec omnibus auritis fidem esse derogandam, vel illud Senecæ docet 4. Nat. quæst. c. 3. *Ex his me testibus numera secundæ notæ, qui vidisse quidem se negant, sed audisse.* Cùm verò ἀδύνατον sit, ut historicus interfuerit omnibus illis, quæ narrat, maximè si loquatur de rebus ante suam æta tem gestis, omniuò secundariorum quoque testium fide niti debet: sive illi vivâ voce testimonium dicant, sive in scripto. Ita de seipso Thucydides in ipso fermè historiæ exordio testatur, se facta commemorare non audita modò à quolibet, sed quibus ipse interfuit, aut quæ sigillatim ab aliis, quàm potuit diligentissimè investigavit: easque, quàm veræ essent difficilius fuisse cognoscere, quia qui singulis rebus gerendis adfuerant, non eadem de ipsis dicebant, sed prout quisque in alterutros amore propensior erat, aut reminiscebatur: se tamen magno labore verum eruisse, & narrationem ipsius, quia non est fabulosa, minus fortassis auditu suavem fore; sed eò magis utilem & fructuosam, quod facilè perspiciant, qui diligentiùs ea considerarint, quæ in bello Peloponesiaco fuerunt à Lacedæmoniis & Athenienſibus gesta. Atque inde etiam secundum Verrium Flaccum apud Gell. 5. Noct. Att. c. 18. *Historia est propriè narratio earum rerum gestarum, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narrat.* Sic autor Bibliothecæ Diod. Siculus (teste Justino Martyre orat. Paræn.) triginta annis continuis Asiam & Europam magnâ cum diligentiâ peragravit. Dion Cassius de seipso lib. 27. *Hæc*

autem ego cæteraq; omnia quæ sequuntur, non ab aliis tradita, sed à me observata notavi. Idem Herodianus sub initium lib. 1. *Ego non quidem acceptam ab aliis, aut incognitam, aut testibus egentem historiam, sed eorum, qui legent, sensibus adhuc memoriæq; inhærentem, summâ vel fide, vel diligentiâ collectam, conscribendam suscepi.* Quod ad ea, quæ à se tanquam visa commemorat historicus, ut facilius ei fuit conscientiæ historicæ inter scribendum satisfacere, ita non est, quòd multum hîc ambigat lector, nisi constet historicum fuisse projectæ audaciæ, & tanquam à se visa & observata, sustinuisse scribere, quæ omnium aliorum hominum, eodem seculo viventium, judicio & experientiæ adversabantur, & tamen inveniuntur nonnulli, quorum frons erubescere nescia. E quorum sanè ordine est Laurentius Surius Carthusianus, qui scripsit commentarium rerum gestarum ab anno 1500. eum continuavit Michael ab Isselt, dignus authore suo continuator: hic refert anno 1585. Turcarum Imperatorem ad Philippum II. Hispaniæ Regem magnificam legationem destinasse cum literis & muneribus, quæ prolixè ibi recensentur, atque ad hæc pertinuisse, 14. clypeos Hispanicos, in quibus victoriæ Caroli V. contra Lutheranos singulari artificio fuerint depictæ. Cùm certum tamen sit eo anno à portâ Ottomannicâ, nullum oratorem ablegatum fuisse in Europam. His accenseas Bolsecum, referentem portentosa de Calvino mendacia, velut totidem oracula, à se quasi observata cum familiariùs Genevæ Calvino uteretur: item Cochlæum & Staphylum vivo Luthe-

ro explicantem hujus cum Diabolo colloquia; plurimosque alios ex ordine Jesuitarum & Monachorum, quorum circa examen Hamelensis fabulæ meminisse poterimus. Quæ fide testium sive vivorum sive mortuorum refert Historicus, nisi probè fuerint ab eo examinata, vacillare facilè possunt: ac licèt testimonia publica, diplomata, Edicta, aliaque quæ in Archivis recondi solent, privatis relationibus longè præferri mereantur, iis tamen falsum subesse quoque potest: ut infra in hoc discursu liquebit. Ipsius Dionis Cassii fides lubrica in multis, maximè in iis, quæ memoriæ tradidit de Cicerone, Cassio, Senecâ, ut cuivis judicioso Lectori facilè liquere potest. Eoque quo ratio constet regulæ, duo circa historicum, ratione eorum quæ ab aliis habet, notentur. I. An eo loco quoque vixerit, ubi omnigena subsidia ad manum habere potuerit. Convenienter *Plutarchus in Demosthene*: Ei, qui historiam scribendam susceperit, non ex iis quæ domestica, & in promtu posita, sed peregrinis majori sui parte, & aliorum in libris hinc inde dispersis constantem narrationibus, reverà primò omnium opus est urbe nobili, rerumque honestarum studioso, hominumque multitudine affluente: ut & in omnis generis librorum copiâ versans, & ea quæ à Scriptoribus omissa, memoriæ tamen beneficio conservata fidem merentur, percontando audiendoque percipiens, ita suum opus absolvat &c. *Hæc Plutarch.* II. An longo usu exercitatus fuerit in discernendo vero à falso. Non inconvenienter *Polybius lib.* 22. sic per

interpretem: Ego historias honore suo frui dixerim; quando vel ii scribere historias conantur, qui rebus gerendis sunt exercitati, non obiter, quemadmodum non accidit, sed hoc quoque sibi & summoperè necessarium & optimum esse judicantes, ut indivulsè per vitam suam huic parti incumbant, vel qui scribere aggrediuntur, habitum ex ipsis rebus contractum, scribendæ historiæ necessarium judicent. *Hæc ille.* Præit ipse Polybius, qui non solùm individuus comes Scipionis fuit in expeditionibus, verùm etiam ne quid falsi scriberet imprudens, in longinquas oras abiit, ut omnia suis oculis lustraret: quantus verò ille sit in historiâ, prolixè docet incomparabilis Casaubonus in nunquam satis laudatâ præfatione, quam ei præmisit. Proximus ab eo Cornelius Tacitus inter Latinos, & inter Græcos Thucydides; Plutarchus, Diodorus Siculus, (quinque priores libros si demas) Dion Cassius & Herodianus ex ordine Græcorum, itemque Salustius, Livius, Curtius & Suetonius ex Latinis, magni quidem mihi, sed quos nolim tamen componi cum his selectis triumviris. Cæsarem latinis secundæ notæ conjungerem, nisi sequentia de ejus Commentariis legerem apud Suetonium lib. 1. c. 56. *Pollio Asinius Commentarios Cæsaris parùm diligenter, parumq; integrâ veritate compositos putat: cùm Cæsar pleraq; & quæ per alios erant gesta, temerè crediderit: & quæ per se vel consultò, vel etiam memoriâ lapsus, perperam ediderit.* Ex recentioribus præter Philippum Cominæum & Franciscum Guicciardinum nulli occurrunt; ex quibus ille ita

de

de suo instituto lib. 1. de reb. gest. Ludovici: *Quantum ad me pertinet, nihil sum dicturus alienum à vero, nihil quod vel ipse non viderim, vel ab hominibus fide dignissimis acceperim, in eoque, nullam habui rationem affectatæ laudationis.* Qui Famianum Stradam volunt esse tertium, eò, quòd ex arcanis literarum, quæ inter Principes commearunt, Belgicam historiam collegerit, non cogitant eum fuisse Jesuitam, Annalesque antequam vulgarentur, subiisse censuram eorum, quibus veritatis divulgatio ut plurimum gravis est. Mirabitur quis præteritum à me Flavium Josephum, quem diligentissimum καὶ ἀληθέστατον omnium Scriptorum vocat Scal. in proleg. de emend. Temp. At tanti apud me non est Josephus. Promittit quidem speciosè in historiæ vestibulo, se translaturum libros Ebræorum in Græcum eloquium, & neque adjecturum aliquid seorsim, neque detracturum. Sed his suis promissis neutiquam stat. Nam lib. 11. antiquit. c. 3. proponit narrationem de custodibus corporis Darii; quæ non occurrit in Codd. Hebræis, sed in libro, ipsorum Pontificiorum calculo Apocrypho, nempe lib. 3. Ezræ cap. 3. Lib. 7. Antiq. cap. 8. de Absolone scribit, cæsariem ejus tantam fuisse, ut vix octo diebus posset detonderi: quæ nequaquam consentiunt iis quæ de comâ ejus leguntur 2. Sam. 14. Sexcenta alia colligi possent, si luberet hoc agere. Adeò ut mihi non displiceat judicium Baronii de Josepho, quod occurrit tom. 1. ad ann. 34. n. 227. *Nemo* (inquit) *quæso in deteriorem partem accipiat, si cujus frequenter adducitur testimonium, idem à me sug-*

 gilletur,

gilletur, ac mendacii arguatur; videdrâ, fortaſsè hoc nomine pugnax & audax, cùm alioqui non ignorem haberi hiſtoricum, quem & noſter Hieronymus epiſt. 22. celebri ac præclaro illo exornet titulo, cùm honoris causâ Livium Græcum appellat. Sed cùm multa ab eo aliter, quàm ab Evangeliſtis ſcripta eſſe legantur, cùmq; etiam à ſeipſo interdum diſcrepaſſe reperiatur, vel aliis certioribus teſtimoniis erroris arguatur; plus æquo illi à me tribui, veritas, quam profiteor, non patitur. Sed ad lineas. Cùm ex iis, quæ ad præcedens κεφάλαιον dicta fuerunt, conſtet, multos ſic à patre mendacii ſubactos fuiſſe, ut quamvis potuerint ſecundum veritatis lineas hiſtoriam procudere, volupe tamen duxerint, eandem mendaciis conſpurcare, ſubſequens hoc κεφάλαιον ſive ex ordine *nonum* præcedenti conjungatur: Teſtimonium hiſtoricum illius, qui non ſolùm præcedentibus requiſitis ſatisfecit, ſed amplius bonus vir eſt, amplectendum eſt; ſic tamen ut cætera, quæ dein notabuntur, concurrant. Non inconvenienter Cæſar Baronius ad annum jam dictum n. 179. *Non parum* (inquit) *intereſt in veritate hiſtoricâ diſquirenda, authorum, qui res geſtas ſcripſerunt, quo vixint tempore, cujusve fuerint eruditionis & exiſtimationis, habere rationem: potiſsimùm, ſi hujusmodi ſcriptores rerum perſpectarum, ac eorum ætate editarum, pietatem & virtutem cum doctrina & veritate conjunxerint, ut planè digni ſint, quibus fides integra adhibeatur.* Neutiquam verò audio Baronium, quando inter hos claſſicos, ſive aſſiduos teſtes, recenſet Euſebium Cæſarienſem,

virum

virum licèt longè doctissimum, atque autorem non minùs Chronici, quàm historiæ Ecclesiasticæ. Nam ut non inquiram hoc tempore, fueritne Arrianus, quod tamen probatum videtur à doctissimo Bilio lib. 1. obs. sacrar. c. 27. censetur calculum rectè posuisse Josephus Scaliger, quando de eo judicat, quod parùm attentè veteres historias legerit: addo ego, eum minùs diligenter & judiciosè discussisse ea, quæ aut apud alios legerat, aut ex aliis audiverat. Gustulum ut exhibeam, quid ineptius Abgari historiâ, vel ipsius Gelasii testimonio dist. 15. c. 3. hanc tamen in Edessæ Archivis extitisse ad suam usque ætatem affirmat lib. 3. hist. Eccles. c. 20. Historiâ Petri Apostoli Romæ crucifixi quid incertius? hanc tamen non solùm ex scriptis Procli & Dionysii Corinthii, sed etiam ex Petri tumulo, qui quasi ad suam usque ætatem Romæ ostendi consueverit, probare nititur lib. 2. c. 25. Jacobum Apostolum à Christo Savatore reliquisque Apostolis Hierosolymorum Apostolum constitutum fuisse ipsa vanitate vanius. Ita tamen Eusebius lib. 7. c. 8. Miraculum Narcissi aquam in oleum convertentis, ad alendas lampadas in vigiliâ Paschatis, quàm ineptè fictum? Ita tamen Eusebius lib. 6. cap. 8. Quid frigidius quoque fuit fabulâ de Simeone quasi-Episcopo, secundo Hierosolymorum, quæ occurrit apud eundem lib. 3. c. 10. Atque ut trecenta alia omittam (de quibus aliàs ex professo erit agendum contra nimios Eusebii admiratores) quis credat Philippum Imperatorem latronem Araba, ac Gordiani domini sui, Principis innocentissimi,

& Reipubl. maximè neceſſarii interfectorem, idolorumque cultorem, atque per univerſam vitam probroſum, fuiſſe Chriſtianum? Hoc tamen perſuadere laborat Euſebius non ſolùm in Chron. verùm etiam lib. 6. hiſt. c. 26. *Decimum κεφάλαιον* eſto: Si narrario hiſtorica loco & tempori reſpondeat, atq; ab iis, qui rei geſtæ fuerunt *σύγχρονοι*, fuerit relata, & ſi aliquid in contrarium adduci non poſſit, exiſtimandum eſt ſcriptores duabus præcedentibus regulis ſatisfeciſſe. Huic præſenti regulæ tantum tribuit Annius Viterbienſis, ut non dubitet in additionibus ſuis ad Pſeudo-Beroſum ſic ſcribere: Non integra & certa hiſtoria redditur, ſi ſolùm dicatur, Magnus Alexander ſuperavit Darium Monarcham, ſed adjiciendum eſt, quibus locis & temporibus exercitum ejus fudit, fugavit, cecidit, vicit. Quibus principiis quicquid Græcia mendax audet in hiſtoriâ, tàm præclarè eliſimus in libro, cui titulus eſt de mendaciis priſcorum, ut verè pudeat, hac noſtrâ tempeſtate, quoſdam alioqui eruditos mendaciis Græcorum delectari, & illis aſueſcere, imò inſoleſcere. *Hæc ille.* Non diffiteor, ut infrà in examine fabulæ liquebit, falſæ narrationi circumſtantias convenientis loci & temporis aptari poſſe; interim ſi aliqua res geſta à Scriptoribus *συγχρόνοις*, convenienter tempori & loco, quæ in iis tanguntur, fuerit relata, non eſt temerè de ejus veritate ambigendum: vice verſâ verò, ſi quid referatur ab iis, qui longo tempore pòſt vixerunt, quod non reſpondeat tempori & loco

& loco, quo quid quasi gestum esset; narratio illa subleſtæ fidei haberi meretur. Neque enim inconvenienter notatum est à Laurentio Vallâ in declamat. de donat. Constant. Magn. Eum qui de superiori ætate historiam texit, aut Spiritu Sancto addictante loqui, aut veterum Scriptorum, & eorum quidem, qui de sua ætate scripserunt, autoritatem sequi: Hanc qui non sequatur eum de illorum numero esse, quibus ipsa vetustas præbeat audaciam mentiendi. Duobus exemplis adductis omnia erunt clariora. Quàm non ambitiosum œstrum multas in Germaniâ civitates moderatur, quæ antiquitatis suæ æmulæ, suam originem & privilegia longè ante tempora Carol. M. accersunt. Sed facilè, observato hoc canone iis os obstrui potest. Nam quomodo eorum privilegia ultra Carolum M. possint diduci, cùm sub Henrico demum Aucupe, hoc est, amplius quàm centum annis pòst, in Germaniâ demum urbes condi cœperint, quemadmodum autor vetustus, qui ante seculum X. absolutum vixit, Luitprandus scilicet judicat lib. 2. hist. c. 8. sic loquens de Hungaris deliberantibus Henricum Aucupen opprimere: *Illo tempore* (innuit autem tempora Caroli M.) *nondum erant in nova Saxonia aliquæ civitates, aut oppida munita, sed villæ campestres, atq; arces sive castra, in quibus quidem villis rustici, in arcibus sive castris nobiles & Saxonum satrapæ residebant.* Et paulò pòst: *Hic* (Henricus nempe Auceps) *incepit in nova Saxonia primò condere oppida, illaq; firmare muris & fossatis &c.* quodipsum quoque quàm prolixè probat Christoph. Lehman lib. 5. Chron.

Chron. Spir. Inter Reformatos quoque Theologos quàm non jactatur Johannes IIX. fœmina quasi & Pontifex Romanus, inter Belgas nomine Juttæ nobilis? Fateor, cum ratione Pontificem quasi fœminam objici posse Papanæ doctrinæ assectis, quòd amplius quam sexaginta historici Luthero (sive anno 1517.) priores, illius in Catalogo Paparum meminerint: interim ratione habita hujus Canonis subtestam universam illorum historiam & fabulæ proximam esse, statuo. Siquidem ut talis quasi-Pontificis primò omnium neminit Marianus Scotus longè posterior (mortuus hic anno 1086. cùm Johannes VIII. sedere debuerit circa Annum 856. & seqq.) fictam narrationem plumis absurditatum Chronologicarum ornavit Martinus Polonus (excessit è vivis anno 1257. taliaque in ipsum textum Anastasii M. S. (cui tamen præ aliis fides deberet deferri) errata temporis & loci derivata sunt absurda, ut neutiquam hæc narratio veræ historiæ loco haberi debeat, quemadmodum judiciosè ostendit spirans illa Bibliotheca, omnisque antiquitatis historicæ thesaurus celeberrimus D. David Blondellus, amicus noster honorandus, quē σὺν θεῷ circa hujus historiæ eruditam crisin aliquando illustrabimus; at citra injuriam eorum, qui ex scriptoribus, Pontificiorum calculo fide dignis (inter hos aliquando & nos, nomen fuisse professos fatemur) hoc levidense argumentum æquo etiam pertinacius urserunt. Sequitur *undecimum κεφάλαιον*: Quod plurium testimonio circa narra-

narrationem hiſtoricam confirmatur, non rejiciendum, præcedenti modò canoni ab iis ſatisfiat. Licet fœcundus ſoleat eſſe error, mendaciaque & fabulæ plurium applauſum conſequi: plurium etiam ſuffragio confirmari conſueverunt, quæ vera & in luce publica geſta ſunt. Atque reliquis κριτηρίοις circa veritatem hiſtoricam concurrentibus, ſi unus aliquis à pluribus teſtibus diſſentiat, quod à pluribus dicitur, æſtimari magis debet, quàm quod ab illo uno. Nam non inconvenienter hactenus Joſephus lib. 1. adv. Appionem: *Certum eſt ſignum veritatis hiſtoricæ, ſi de iisdem rebus eadem omnes conſcribant*; ſcilicet ſub illâ cautelâ, quâ regulam noſtram præmunivimus. Notum pariter illud ex jure Canon. cauſ. 4. quæſt. 2. in Gl. Si unus teſtis contradicat pluribus, talis contrarietas non obſtat, quia teſtimonium unius nec juſtificat, nec condemnat. Atque ſi in foro recepta eſt lex Conſtantini Imp. 9. C. de teſtib. in hanc formulam concepta: Sanximus, ut unius teſtimonium nemo judicum in quacunque causâ facilè patiatur admitti. Cur non circa examen veritatis hiſtoricæ idem obſervetur? Exempla (ne in anteceſſum ea exhibeamus) in conſideratione hypotheſeos complura adferentur. Ergò *duodecimum* ſit κριτήριον: Ab adverſariis circa controverſiam hiſtoricam, ſi aliquid dicatur, licet eo teſtimonio uti adverſus illos, quamvis id poſſit eſſe falſum: nec tamen in propriâ causâ aliquis teſtis eſſe poteſt, quod

quod ad veritatem hiſtoricam. Canonis neceſſariò proximè obſervandi duo ſunt membra. Priori agitur de teſtimonio quaſi adverſariorum, quod licet falſum eſſe poſſit, ut innuimus circa Pontificem quaſi fœminam, nihilominus valere debet adverſus illos ipſos, qui illud perhibent. Unde non inconvenienter Johannem IIX. velut meretricem orthodoxi Papanis exprobrant: licet enim fide hiſtoricâ credam, nunquam Romæ ejuſmodi Pontificem ſediſſe; credere tamen hoc debent Papani, quòd illud affirmetur à talibus Scriptoribus, quos aliàs pro prætenſo Catholiciſmo & ſucceſſione ſuæ Eccleſiæ objicere ſolent. Ita pariter inter orthodoxos atque eoſdem controvertitur, poſſitne Pontifex Romanus errare & hæreticus eſſe? quod licet hi negent, credere tamen fide hiſtoricâ debent; ſiquidem Hadrianus VI. in 4. ſentent. de Sacram. confirm. art. 2. §. 2. ſic exſertè loquitur: *Quòd ſi per Eccleſiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum eſt, quòd poſſit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſin per ſuam determinationem, aut Decretalem aſſerendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Sexcenta exempla ejuſdem farinæ adferre liceret. Altero membro hujus Canonis, adverſariorum teſtimonio rectè proprium opponere videmur, quatenus ſcilicet illud vergat in favorem illius qui hoc dicit. Neque enim ſine ratione ſic ſanciunt Imperatores Valentin. & Gratian. l. 10. C. de teſtib. *Omnibus in re propriâ dicendi teſtimonij facultatem jura ſubmoverunt.* Ad modum κριτηρίκ decimi tertij hoc notetur:

Cùm

Cùm fama fallax admodum esse consuevérit, quando prudens historicus famæ judicium, à suo judicio discernit, multo plùs deferri debet ejus judicio, quàm incerto populi rumori. Quotquot ex historicis prudentiâ præditi, vulgi rumori neutiquam fidem habent; quia illius noverunt ingenium; de quo ne quis dubitet, unum modò Tertullianum adduxisse sufficerit, qui ita Apologet. c. 17. *Natura famæ* (inquit) *omnibus notæ est. Vestrum est:* (alloquitur siquidem gentiles) *Fama malum quo non aliud velocius ullum. An verò famæ credat, nisi inconsideratus? Quis sapiens credit incerto?* Eoque, ne videantur historici torrenti obniti, coguntur quidem fabulam referre; sed ut eam pariter arguant, veriorisque narrationis substitutione exarment. Sic Pausanias lib. 6. de Oibata: *Ea quidem, quæ vulgarint hac de re Græci, necesse habui commemorare, credere verò omnia, nulla me res cogit.* Sueton. Claud. c. 1. *Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quàm quia verum aut verisimile putem.* Item Tacitus 4. Annal. cùm in tradendâ morte Drusi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, retulisset, non omittit eorundem temporum rumorem. Et lib. 2. c. 50. ut conquirere fabulosa & fictis oblectare legentium animos, procul gravitate cœpti operis credit; ita vulgatis traditisque demere fidem non audet. Herodot. lib. 3. *Ex iis quæ narrantur, hoc quod dixi proprius fidem est, tamen id quoq; quod minus credibile est, quandoquidem refertur, commemorare debeo.* Dio lib. 54. de Augusto: Accipio

pio etiam ex oraculo quodam aut somnio, quotannis certâ die argenti nonnihil ab accedentibus quasi emendicantem accepisse, id si quis credendum non putet, tamen ita traditum est. Ælian. de hist. animal. lib. 17. c. 14. *Eudoxus ait (cui ego hac in re fidem non habeo, aliàs non prohibeo) se cùm Herculis columnas superâsset, aves quasdam in stagnis (sive lacubus) vidisse, bubus majores, quod etsi mihi, ut dixi, non verisimile, omittere nolui.* Sexcenta ejusdem farinæ ex antiquis scriptoribus loca adferre liceret, nisi hæc pauca instar omnium esse possent. Interim, ut omnibus modis probandum, si, postquam quæ verè gesta sunt, historicus proposuit, obiter quasi atque additâ censurâ, mentionem pariter famæ faciat: Ita pili fieri non debent monumenta eorum historicorum, quæ nihil aliud sunt quàm farragines rumusculorum, & indices popularium narrationum, consarcinati ex Novellis, hebdomadariisque narrationibus, hodiè in præjudicium sæpè Rectorum Reipub. per avaros Typographos, omnis censuræ securos, produci, si non fingi ut plurimum, solitis. Ferendum foret, si pauci duntaxat hasce cloacas exhaurire satagerent: illi ipsi quoque qui nomen inter Annalium conditores præ aliis mereri videntur, vix alios fontes norunt. Creduntur vulgò non malè de historiâ mereri, quicunque aut annuatim aut hebdomatim rerum gestarum commentarios conficiunt, at dici non potest, quantoperè hi ipsi veritati officiant, dum quolvis è circulis & semicirculis rumusculos colligunt, atque vix aliud suæ narrationis præsidium inveniunt, quàm

literas

literas mercantium, quæ & ipſæ nituntur plerunq; ſolo trivialium fabularum fulcro. Nam quod deplorandum, ex hiſce relationibus non ſolùm Mercurij Gallo-Belgici, ſed Annales quoque colliguntur ab iis, qui ad ſcribendam aliud vix adferre poſſunt quàm ſtyli elegantiam: qui ne videantur injurij eſſe in veritatem; multa ſœpè parerga admiſcent, atque exiſtimant ſua mendacia, quæ ſœpè non tàm ſtudio quàm præ imprudentiâ & nimiâ ſecuritate adſpergunt, libera à cenſurâ fore, quòd ea floſculis verborum ſententiarumque variaverint. Hiſtoria admittere quidem poteſt Rhetoricum artificium; ut præ aliis docet Diod. Siculus lib. 20. c. 2. Interim qui eandem ſcribit, magis veritatis (quæ nuda libenter conſpicitur) quàm eloquentiæ purpuriſſi ſtudioſus eſſe debet. Non diſplicet illud Flavij Vopiſci, qui ita in vitâ Probi Imp. c. 2. *loquitur*: Iſtud tantùm conteſtatum volo, me & rem ſcripſiſſe: quam ſi quis voluerit honeſtius, eloquio celſiore demonſtret. Et mihi quidem id animi fuit, non ut Saluſtios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes diſertiſſimos imitarer viros in virâ principuum & temporibus diſſerendis: ſed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cœterosque qui hæc & talia non tàm diſertè quàm verè memoriæ tradiderunt. *Hæc ille.* Nec alia mens Trebellij Pollionis in XXX. Tyrannis c. 11. *Hos ego verſus* (inquit) *à quodam Grammatico translatos ita poſui, ut fidem ſervarem; non quòd melius non potuerint*

transferri, sed ut fidelitas historica servaretur, quam ego præcæteris custodiendam putavi, qui id, quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, non verba. Graviùs illi delinquunt, quicunque sæpè neglectâ personâ historici induunt sive Comici sive Tragici exuvias. Quò pertinet illud Plutarchi in vita Alex: *Hæc putaverunt quidam scribenda, quasi magnæ fabulæ tragicum exordium & lamentabile fingentes.* Sequitur *decimum quartum κεφάλαιον*: Ut S. Scriptura infallibilis veritatis est amussis, sic omnis historia, veritati historicæ, quam ipsa ubique proponit, & sæpè quoque ex professo docet, respondere debet. Respiciebat hanc ipsam regulam Augustinus cùm lib. 4. de Civ. Dei c. 6. sic scriberet: *Quacumq; fide rerum vel Iustinus vel Pompejus Trogus scripserit, quædam illos fuisse mentitos, aliæ fideliores literæ ostendunt.* Eaque sola sufficit probandæ censuræ, quam jure merito nos, Baronium secuti, jam antea obiter strinximus in Josephum, qui sanè cùm in multis recedat à lineis historiæ & pariter veritatis sacræ, non meretur solus, ut multis perperam visum fuit, ex omnibus historicis profanis in precio haberi, & parum quin adorari. Hæc regula si attendatur, Ægyptiorum antiquorum commenta in fumum quoque abeunt, cùm non potuerint apud eos ut Græculis persuadebant, innumerorum fermè annorum res gestæ extare. Diodor. Siculus lib. 1. Biblioth. dicit quidem: *Quidam eorum fabulantur in Ægypto, regnasse Deos & Heroas paulò minus octodecim annorum millibus, Deorum*

ultimum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [88] - 84

ultimum regnasse Orum Isidis filium. Sed quòd hæc non nisi fabulæ sint, sola Sacra Scriptura dijudicare potest. Quamvis & hoc pro Ægyptiis dici possit, quod primitùs anni eorundem menstrui duntaxat fuerint, mensemque pro anno putarint, ut testis est Eudoxus in Procli ad Timæum commentariis, Diod. Siculus lib. 1. Biblioth. Varro apud Lactant. lib. 2. Instit. c. 13. Plut. in Numæ vitâ, ut Augustinum & alios taceam. Quàm non multi solliciti fuerunt, ut ex Eusebio jam antea jure notato, colligerent nomina πρωτινόντων Episcoporum, Apostolorum quasi ætate institutorum & consecratorum; sed cùm Scriptura Novi Testamenti faveat omninò Hieronymo, cujus hæc sunt verba in Comment. Epist. ad Titum: *Idem est ergo presbyter, qui & Episcopus; & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur*: Frustra omninò sunt. Sæpiusque miratus fui quòd Nicephorus longè posterior Eusebio, inverecundè ausus fuerit definitè denotare tempora, quibus Hierosolymis sederint quasi à tempore Jacobi fratris Domini, Episcopi, cùm difficile quoque fuerit Eusebio lib. 4. hist. Eccles. c. 5 nuda eorundem nomina annotare, atque circa ea ipsa ab eodem variè dissentiat Epiphanius hæres. 66. Denique ut sexcenta alia omittam, quæ occasione præcedentis regulæ annotari possent; Sacra Scriptura cùm sola historiam Ante-diluvianam tradat, principium & basis quoque censeri debet veritatis Chronologicæ, quam

mirum quàm vacillare à multis notatum est, si ratione Patrum prioris seculi, anni, quibus vixerunt, potiùs computentur secundum LXX. senes sive Interpretes, quàm fontes Ebræos. Videatur prolixè hac de re disputans Augustinus lib. 15. de Civ. Dei c. 13. ubi hanc diatribam sequenti sententiâ cedro dignâ obsignat: *quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumq; non potest esse verum, ei linguæ potiùs credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Sed pergendum. Sit ergò hoc *decimum quintum κεφαλαιον*: Cùm Historici consueverint plurima referre, quæ fidem excedere videantur, neq; temerè ea velut falsa rejicienda sunt, neq; etiam omnia tanquam vera admitti debent. Prima quidem sapientiæ lex est, non temerè credere, interim quoque culpâ non caret affirmata ἀπιστία, quæ sine discrimine rejicit omnia illa quæ in historiis falsa & fabulosa apparent, sub quibus sæpè multa vera delitescere possunt. Non inconvenienter dictum ab Apuleio in ipso vestibulo fabulæ Milesi. *Minus herculè calles pravissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel audita, nova, vel visu rudia, vel certè supra captum cogitationis ardua videantur: quæ si paulò accuratiùs exploraris, non modò compertu evidentia, verùm etiam factu facilia senties.* Quàm non multa hujus generis ipsa Scriptura proponit. Etenim quis crederet nisi persuasus foret de infallibili hujus Codicis veritate, Mathusalem vixisse annos 969 Gen. 5. 27 totum terrarum orbem aquis fuisse tectum Gen. 8. mare algosum sic constitisse, ut aquis

aquis instar murorum sublevatis per illud transierint Israëlitæ Exod. 14. per quadraginta annos aliquot hominum myriades pane de cœlo cibatas fuisse Exod. 16. terram absorpsisse Corachum, Dathanem & Abiramum cum omnibus possessionibus Num. 16. è petrâ prodysse aquam. Num. 22. quadraginta annis Israelitarum vestes & calceos non fuisse detritos Deut. 29, 5. Solem constitisse Jos. 10. eundem in solario retrocessisse Jes. 38. unum virum maxillâ asini occidisse viros mille. Judic. 15. & solum Josaphatum cum armigero universum exercitum Philistæorum in fugam convertisse 1 Sam. 14. Eliam pastum fuisse à corvis 1. Reg. 17. Eundem è cœlo evocasse ignem 1. Reg. 1. atque uno cibario quadraginta diebus fuisse sustentatum 1. Reg. 19. flammam non adussisse in fornace Babylonicâ tres adolescentes. Dan. 3. nec esurientes leones nocuisse Danieli, Dan. 6. His addas miracula Christi, Apostolorum, Mosis, Eliæ & Elizæi, quæ sanè tàm admiranda, si non stupenda, ut apud Gentiles Scriptores similia vix occurrant. *Quis Æthiopas antequam cerneret, credidit? aut quid non miraculo est, cùm primùm in notitiam venit? quàm multa fieri non posse priusquam sint facta judicantur?* ut Plinius loquitur lib 7. Nat. Hist. c. 1. Amplector ambabus ulnis judicium Franc. Balduin. in libell. de Inst. hist. sic loquentis: In lectione historiarum *(inquit)* adhibere oportet judicium & delectum, ut neque confusè (quòd quidam faciunt) vera cum falsis repudiemus; neque rursus temerè falsa cum veris complectamur. Nam sicut fatua & temeraria &

nimia & facilis credulitas; ita est quædam nimium morosa nimiumque diffidens ἀπιστία; quæ quidem nisi faceſſet, nullum ulli historiæ locum relinquet. Et verò non ingenui, sed impudentis atque præfracti hominis est, etsi quid probabiliter dicatur, quod & gravem authorem testemque habeat, tamen id contumaciter tanquam falsum repudiare; cùm quidem neque quod affirmatur refellere, neq; cur id repudiat, causam dicere possit. Quid pluribus opus est? illud semper teneamus & perpetuò meminerimus, nos in lectione historiarum esse debere, quales ab Arist. esse dicuntur, qui neque pueri neque senes sunt, qui, inquam, ad credendum neque nimium faciles neque nimium difficiles sunt; ἤτε, inquit, πᾶσι πιστεύοντες, ἤτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες. *Hactenus Balduinus.* Propterea tamen hæc nequaquam patrocinari debent portentosis fabulis & miraculis, quibus referti sunt Monachorum libri, & quibus delectati videntur fuisse Eusebius Cæsariensis, Nicephorus Callistus, Zonaras, Nicephorus Gregoras, Gregorius Thuronensis, Saxo Grammaticus, Guilielmus Tyrius, aliique plures, quos longum foret commemorare. De Herodoto jam antea diximus. Attamen ut nævus non deformavit Helenæ faciem omnibus statuis emendatiorem, sic una alterave fabulosa narratio, imò plures quoque nihil derogare possunt existimationi historici, in aliis religiosè aliàs, fidei veritatique litantis. Ut nihil dicam de Paulo Jovio (jam antea notato) commemorante ducentos amplius leo-

leones à Mulcasse solo interfectos esse; nec arguam Bembum morosum licet veri cultorem, scribentem in Apuliâ, bello Veneto, corvos ac vultures in aëre tantâ vi inter se agminatim conflixisse, ut duodecim carrhi eorundem cadaveribus explerentur. Quid frequentius apud Livium, quàm boves fuisse locutos, scipiones & tela arsisse, sereno cœlo tonuisse, statuas sudasse, infantem trimestrem triumphum clamasse &c. Quis fidem quoque habeat Plutarcho in Lycurgo scribenti, puerum Lacedæmonium ad necem usque crudelissimam laceration em pertinaciter tulisse, ne Vulpis furtum proderetur? aut quis non exclamet papæ! quando legit apud Procopium cineres montis Vesuvii, qui circa Neapolin positus est, venti vi Byzantium usque delatos fuisse; itemque unum Thracem, eumque caligatum, fugasse universum Gothorum exercitum. Sexcenta ejusdem notæ liceret colligere, quæ cùm dijudicari non possint, nisi ab eo, qui nasum habet, atq;, in his excutiendis longo usu exercitatus est; patet quàm sæpè fallantur θαυματοῦργοι, & rerum mirabilium collectores. Cum quibus ne contingat nos ineptire, præter præcedentes Canones, distinctè antea excussos, considerabimus quàm attentè hoc *decimum sextum* κεφάλαιον: Quodcunq; fieri potest, & perquàm verisimile est, à veritate non potest alienum esse. Quem canonem, ut totidem verbis proponit præclarissimus Historicus Bonfinius dec. 4. rer. ungar. lib. 4. ita explicatione indiget.

Certum quidem est, & vel sola hæc nostra ætas exemplorum affatim suppeditare potest, multa contingere in rebus naturalibus & politicis, quæ antequam fierent, videbantur fidem quoque Judæi Apellæ excedere: Certum quoque plurima videri incredibilia, quæ certissimè contigerunt: Interim tamen nihil ut verisimile est amplectendum, quod expressè cum Dei voluntate pugnat. Didicimus quidem è Scripturâ (Ephes. 3 20) Deum omnipotentem facere posse supra ea quæ cogitamus: at ex eadem quoque scripturâ scimus, Deum mentiri non posse Tit. 1,2. nec seipsum negare 2. Tim 2,13. rationemque Scripturæ se submittentem & subservientem monere, divinæ omnipotentiæ objectum non esse somnium erroneæ mentis, sed possibile considerandum secundum æternum ejusdem Dei beneplacitum. Ut planè non sint audiendi Jesuitæ aliique Pontificii Doctores, qui fabellas de multiplicatione unius numero corporis, & existentiâ ejusdem simultanea in pluribus locis, credulo vulgo tanquam ἀξιοπίστους historias propinant: Et secundum quos (videatur Arriaga Jesuita disp. Phys. 14. sect. 8. subs. 2.) S. Antonius Paduanus simul in pulpito fuerit concionatus, & in Monasterii choro lectionem cantaverit; S. Franciscus Xaverius pluribus occasionibus eadem multiplicationis formâ se eodem tempore exhibuerit. Quod jam suâ ætate de corpore S. Baldredi, olim tribus in locis in Scotiâ ostendi solito, notaverat Major dist. 10. q. 4. cui & adstipulatur Hector Boethius lib 9. hist.

hist. Scot. fol. 177. Historicus ob hæc & similia quibus scatet οὐκ ἄξιον ὀβελοῦ. Præterea ratione eorundem verisimilium, accuratè habenda est ratio temporum. Qui vitam Willebrordi, Bonifacii, Lebnini & sociorum eorundem, velut Apostolorum Germaniæ & Belgii descripserunt, integras centurias miraculorum ab iis quasi patratorum, commemorant, qualia etiam sine numero crepant, quot fermè ex Papanis hodiè pro historicis se gerunt; ne quid enim dicam de iis, qui Sanctorum sive antiquorum sive recentiorum vitas & res gestas ex professo descripserunt; vix historia politica ab iisdem vulgatur, quin immisceantur miracula. Unus Caraffa in Comment. de German. restituta instar omnium esse potest. At contra has subtestæ fidei narrationes quis munietur, haud secus atque si septemplici Ajacis clypeo armaretur; modò cogitet, alieno tempore miraculosas hasce narrationes obtrudi. Jam Augustini ævo dona miraculorum in Ecclesiâ cessabant. Verba ejus hæc sunt lib. 22. de Civ. Dei c. 8. *Possem dicere, miracula necessaria fuisse priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Non inficias quidem eundum, alicubi, propter Gentiles, qui in quibusdam angulis delitescebant, Augustini ævo aliqua miracula patrata fuisse, sed ut loquitur lib. 1. Retract. c. 14. non tanta. Rationem reddit lib. de verâ Relig. c. 25. *Cùm Ecclesia* (inquit) *Catholica per totum orbem diffusa atq; fundata*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [95] - 91

data sit, nec miracula illa, in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quareret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit. Eandem rationem reddidit Gregorius homil. 19. in Evang. *Nunquid fratres mei, quia signa ista non facitis, minimè creditis? sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt, ut multitudo ad fidem crescerct, quia & nos dum arbusta plantamus, tamdiu ei aquam infundimus, quousq; ea in terrâ coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* Ac proinde cogitandum de talibus narrationibus historicis, quod notavit Nicol. Lyra in cap. 14. Dan. aliquando maximam deceptionem populi fieri in Ecclesiâ per miracula ficta à Sacerdotibus. Quamvis interim non sit inficias eundum, Diabolum, ex Dei indultu, per suos mirabilarios, ea sæpè patrare, quæ vera miracula mentiantur, maximè cùm sciamus Anti-Christi adventum fore ex vi & efficaciâ Satanæ, cum omni potentiâ & prodigiis mendacibus 2. Thess. 2, 9. quo loco cùm mendacia vocentur prodigia, singulari opus est dexteritate, imò Spiritu in discretione hac. Ut tandem verò finiamus hanc generalem dissertationem, non solùm servientem præsenti, & planè hypotheticæ quæstioni, verùm etiam similibus aliis, notetur hoc *postremum* κριτήριον: Quæ historici sive de rebus mirabilibus, sive de vulgatis, referunt fide magis populari, quàm suâ, eo ipso suspecta haberi debent, nec temerè, quisquis sapit, eadem ut vera amplectetur. Notum apud Græcos (unus Plutarchus

tarchus testis esse potest) receptum esse verbum φασὶ, cui respondet Latinorum ajunt, ferunt &c. quod quotiescunque narrationi alicui immiscetur, suspectare eandem convenit. Unum exemplum instar omnium sit. Verba sunt Aristotelis l. 5. de animal. c. 19. nonnullorum animalium corpora esse, quæ igne non absumantur, salamandra claro documento est: quæ, ut ajunt, ignem, inambulans per eum, extinguit. Formula hæc, ὡς φασὶ, quæ prudenter à Philosopho adjicitur, habet singularem emphasin, eoque cum ratione notari debet. Quod enim de Salamandrâ testatur, falsum est vel Dioscoride teste lib. 2. c. 56. *Salamandra*, (inquit) *lacertæ genus est, iners, varium, quod frustrà creditum est non uri.* Erroris fontem pandit *Galenus* lib. 3. *de Temp.* c. 4. ubi *dicit*: Salamandram ad certum usque temporis spatium ab igne nihil pati, uri tamen, si eadem longiùs igni admota fuerit. Quod & calculo suo probat Georgius Agricola Tr. de subterran. Animal. ubi testatur, tantâ esse frigiditate Salamandram, ut tanquam glacies igni exposita eum extinguat: quemadmodum & ova serpentum in caminum ignis conjecta, ejus vim imminuant, postea tamen & Salamandra & eadem illa ova comburantur. Subscribunt Wottonus, Matthiolus in Dioscorid. & Gesnerus de hist. animal. qui ad suffragium quoque vocat Anton d' Musam, quibus plures alios subjicere licet. At his alias. Hujus regulæ neglectus decepit circa Salamandram multos ex ipsis antiquis: speciatim Ælianum lib 2 hist. animal, c. 31. Nazianz. in vitâ Basil. M. & paræneſi

ad

ad Virg. maximè Nicand. in Alexiph. ubi Salamandra describitur: *animal in igne, quo omnia consumuntur, saliens.* An verò narrationi vulgari patrocinari queant ζῶα πυρίγονα, sine animalia quæ in igni vivant, inde verò exemta moriantur; (ea enumerant præ aliis ex antiquis Philo lib. de Noha, deque Gigantibus, & Macar. hom. 14.) aliàs alibi inquiretur. Et hæc quidem hactenus, liceatque nobis, ratione hujus prologi usurpare illud Vergilianum: *Italiæ fugientes prendimus oras.*

Destructio fabulæ Hamelensis.

POstquam in generalibus hactenus occupati fuimus, convertimus nos ad hypothesin, sive ad examinandam illam ipsam narrationem, quam in frontispicio hujus dissertationis summatim proposuimus. Annitemur autem argumentis admodum probabilibus ostendere, eam falsam esse: non quòd ejus veritas nobis in aliquâ re officere queat; sed quòd ea reverentia debeatur veritati, ut annitendum sit pro viribus, quo, ea, proscripto & limitato mendacio, ubique atque in omnibus possit obtineri. Alias haud insolens Papanis Scriptoribus, falsi arguere eas quoque narrationes, circa quas non solùm annotari & observari possunt omnes notæ veræ historiæ, sed quas ipsi quoque, secundum conscientiam tales agnoscere debent: nullam

nullam aliam ob causam, nisi quòd videant per illas destrui, quædam ex iis dogmatibus pro quibus aliàs tanquam pro aris & foris digladiari solent. Ex plurimis exemplis, quę hîc afferre liceret, hoc unum instar omnium esset. Bellarm. 3. de Eucharist. c. 24. ne fortè jugulum præscindatur monstro Transubstantiationis, haud obscurè negat, Victorem secundum, hujus nominis Episcopum Romanum, Victorem item Tertium, Henricum Imp. ejus nominis Septimum, acceptâ medicatâ Eucharistiâ toxicatos mortalitatem expleviſſe. Et tamen de Victore Secundo ad annum à Nato Chr. 1054. expressè hoc testantur Autor Compilationis Chronologicæ, Bertoldus Constantiensis, & Lambertus Schaftnaburgensis, quorum illum, ipse Bellarminus parum sui memor lib. de Script. Eccles. indigetat fidelissimum historicum, alterum insignem ore ac veracem. De Victore Tertio idem narrat Autor Magni Chronici Belgici ex Holmando ad ann. Christi 1086. Martinus Polonus in Victore 3. Malmesburiensis lib. 3. in Wilhelmo primo, Fasciculus Temporum ad ann. 1084. Sabellicus Ennead. 9. lib. 3. Bergomas ad ann. 1082. pluresque alii. De Henrico VII. Imp. Ptolomæus Lucensis apud Langium in Chronico ad ann. 1313. Compilatio Chronologica ad eund. ann. Albertus Argentinensis in Chron. Aventinus lib. 7. qui non dubitat quo historicæ veritati hac in parte nihil decedat, provocare ad omnia ferè Chronica, Fastos, Annales, Acta; Blondus decad. 2. lib. 9. Crantz. lib. 9. Saxon. c. 7. Nauclerus Generat. 44. multique alii quos com-

commemorare longum foret. Bellarmino objici quoque posset Henricus Archiepiscopus Eboracensis, nisi ad manum occurreret unus duntaxat Matthæus Parisiensis, cujus hæc sunt verba in Stephano II. ad ann. Domini 1154. *Paulò post, cùm idem Archiepiscopus in sua reversus, divina celebraret mysteria, hausto in ipso calice, (ut ajunt) veneno, obiit, & successit ei Rogerius Cantuariensis Archidiaconus.* At porrò ad lineas. Sit ergò hoc *primum* argumentum, sufficienter arguens secundum illa, quæ præmissa sunt, subtestam fidem narrationis vulgaris de pueris Hamelensibus: Cujus rei altum est silentium, non solùm apud Scriptores coætaneos, eosq; Germanos; verùm etiam illos, ex eadem regione oriundos, qui duobus proximis seculis vixerunt, de illius veritate, non solùm cum ratione ambigitur, sed jure merito quoque eadem, velut fidei nullius rejicitur. Atqui Historiæ Hamelensis, neq; scriptores coætanei Germani, neq; illi qui duobus proximis seculis vixerunt, meminerunt. Ergò. Priusquam ad minorem propositionem, sive assumtionem me converto, circa Majorem, ne cui aliquid dubii aut difficultatis superesse queat, quid monere convenit. Atque initio, non minùs JCti (vid. Everh. in Top. Legal. Loc. 95. n. 17.) quàm Logici saniores quoque, (omissis aliis, consulatur vel solus Melanchthon communis Germaniæ Præceptor lib. 4. dialect.) hunc Canonem proponere solent: A testimo-

ſtimonio humano valet quidem argumentum affirmativè ductum, neutiquam verò negativè: quem pro re natâ quoque velut lumini rationis per omnia congruum, hiſtoricæ veritatis ſtudioſi, uſibus ſuis aptare ſolent: ſiquidem ait Crantz lib. 3. Saxon. c. 25. *multa ſcripta non ſunt, quæ tamen facta ſunt*: quod ratione Germanorum potiſſimùm verum eſt, quibus licet applicare illud Saluſtii ex conjurat. Catilin. in pr. *Optimus quisq; facere quàm dicere, ſua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſe aliorum narrare malebat.* Sed, ut hic Canon convenienter attenditur, ratione Scriptorum ejuſdem ſeculi, qui ſibi mutuas operas tradere debent, uno ſupplente illud, quod ab altero omiſſum eſt; ſic, quando poſteriores Scriptores comparantur cum συγχρόνοις, horum ſilentium, ſive negativum teſtimonium, ſufficit evertendæ temerariæ illorum affirmationi. Nam, poſteriores Scriptores non poſſunt proponere aliquam narrationem, ut veram, quæ omiſſa fuerit à Scriptoribus coætaneis, niſi aut eruditi fuerint ab ipſo Spiritu S. ductore in omnem veritatem, aut iis ſuæ narrationis documentis inſtructi, quæ conſignata & depoſita fuerint, ab ἀξιοπίστοις ejuſdem teſtibus. Exiſtimarem autem ratione præſentis argumenti vulgarem Canonem convenienter urgeri poſſe, ſi unus quoque ex Scriptoribus coætaneis, ſuo ſuffragio vulgarem fabulam adſtrueret. Siquidem hactenus non diſplicet illud Bellarmini lib. 2. de Pontif. c. 8. Reſp. ad primum argumentum ſic ſcribentis: *Plus creditur tribus teſtibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus, modò iſti*

non negent, quod alii affirmant. At, (ut ad minorem propositionem deveniamus) ex Scriptoribus συγχρόνοις, iisque qui duobus seculis pòst in ipsâ Germaniâ vixerunt, nullus occurrit, qui hujus historiolæ vel meminerit, licet leviora & minutiora longè, stylo complexi fuerint. Sub imperio Rodolfi Habspurgensis (qui imperare cœpit anno à nato Christo 1273.) vixit conditor annalium Colmariensium, qui cum suo continuatore pertingit usque ad annum 1302. ex omnibus, quotquot ego quidem vidi, fuit hic ignarissimus legum historicarum, & circa res tàm exiles occupatur, ut non solùm unoquoque anno, messis, vindemiæque rationes annotet, verùm etiam ad annum 1276. observet, quòd prope Laufenberch, fuerit gallus, sub cujus ventre potuerit gallina transire: ad annum 1277. quòd in Gultz quædam meretrices domesticæ à silvestribus fuerint expulsæ: ad annum 1283. quod Cal. Junii in Alsatiâ, fraga, cerasa & pira matura venderentur: ad annum 1289. quòd Rex Rudolphus compararit Basileæ caveam avi Psittaco, alibi, ut observatum quoque fuit à Cl. Vossio lib. 2. de hist. Lat. c. 60. annotet, gallinas enixas fuisse ova cum duobus vitellis: at quis credat autorem, qui tàm studiosè minutissima quæque annotat, silentio præterituram fuisse rem tàm prodigiosam, cujus fama non potuerit non Germaniam universam, si non Europam quoque, pervolare & implere? Idem dicere licet de Scriptoribus Germanicis proximis (siquidem per temporum injuriam, non occurrunt alii, quorum ætas concurrerit cum hac ipsâ re

re gestâ) inter quos primo loco se offert Wernerus Rolefinck à Laer, autor Fasciculi Temporum, qui fuit, teste Trithemio Comment. de Script. Eccles. natione Theutonicus, patria Westphalus, domus S. Barbaræ in Colonia Agrippinâ, vir in divinis scripturis studiosissimus, valdè eruditus, ingenio excellens, vitâ & conversatione devotus. Quâ verò diligentiâ hoc historiæ florilegium collegerit, ex eo ipso discere est, sic in prologo *loquente*: Nec mihi conscius sum aliquid de me posuisse, quod non in fide dignis historiis habeatur, aut aliis libris Ecclesiasticorum Doctorum, sive, quod non ex eorum dictis apertè sequatur. Ubi autem dubium fuerit, ait *sic vel aliter*, hoc etiam, *ita ut repperi*, *pari modo annotavi*. Ad hunc ipsum verò (desinit in anno à nato Christo 1464.) qui vixit in vicinià Hameloæ, instructusque fuit omnigenis subsidiis, ne fando quidem aliquid delatum fuit de exitu puerorum Hamelensium: saltem in ejus fasciculo Temporum, complectente aliàs narrationum historicarum quisquilias, ne γρῦ quidem, huc spectans occurrit. Idem dictum sit de Autore Magni Chronici Belgici, qui ut desinit in anno 1474. sic omnis generis nugamentis historicis luxuriat; altum verò silet hac de re, quæ si unquam accidisset, næ dignissima censeri deberet, quæ ad seram usque posteritatem propagaretur. Johannes de Tritenheim vulgò dictus Trithemius, Abbas Spanhemiensis, atque secundum Paulum Langium in Chron. Citicensi: reverendus & undecunque doctissimus vir; quæcunque fermè per Germaniam acciderant, & me-

moriâ digna videbantur, è tenebris exuit, distribuitque per Chronicon Hirsaugiense & Spanheimense, in neutro verò (illud desinit in anno Christi nati 1370. hoc verò in anno 1502.) vel umbra fabulæ Hamelensis notari potest: cui addatur Hartmannus Schedel, qui teste Trithemio (de quo modò) in Comment. Script. Eccles. fuit Norembergensis, natione Teutonicus, artium & Medicinæ Doctor; quique (teste eodem) comportavit & scripsit alia ingenii sui opuscula, ex Jacobo Bergomensi & aliis historiographis, opus grande & insigne, quod continet historias temporum: in hoc verò grandi opere, quod vulgò vocatur Norimbergense Chronicon, desinitque in anno 1492. licet multa, Germaniam maximè concernentia, occurrant, quæ frustrà alibi quæras; nullibi tamen exitus puerorum Hamelensium comparet. Johannes Nauclerus Ecclesiæ Tubingensis præpositus, & Universitatis Tubingensium Cancellarius, testimonio Fr. Nicolai Basilii Hirsaugiensis, in exhortatione præfixâ vol. 2. Chron. Naucleri edit. Tubing. 1516. vir fuit insignis, ac Alemaniæ decus & lumen, qui, (*sunt verba ejusdem Basilii*) non vanitatis studio, non curiositatis instinctu, sed divino quodam spiritu afflatus, rerum usque gentium facinora, gesta, dicta, facta, more apis ex diversis historiographorum flosculis, varias in unum apis argumentosa congessit alvearium historias. Hic ipse verò in accuratâ suâ historiâ, per generationes, distincta, ac desinente in anno 1500. æque de exitu puerorum Hamelensium silet, atque alii quos jam antea con-

sidera

sideravimus. Quid dicam quoque de Alberto Crantzio, is, teste ipso Bellarmino de Script. Eccles. vir fuit admodum diligens in conscribendis historiis, ad hoc Canonicus Hamburgensis: si quis verò alius, optimè meritus est de historiâ Saxonicâ, (Saxoniæ autem accensenda Hamelia) per eum continuata usque ad annum 1520. næ hic ipse est: siquidem fabulis, à veris historiis, sagaci judicio, quo pollebat, discretis; quicquid memoriâ dignum videbatur, quàm accuratè annotavit. Interim æquè frustrà apud hunc quæras exitum puerorum Hamelensium, atque, ut in mari apros, aut in silvis delphinos. Paulus etiam Langius Citicensis Monachus, in Chronico, deducto usque ad annum, à nato Redemtore generis humani 1515. multas raras, edecumatasque proponit historias, Germaniam maximè concernentes, nec tamen inter eas, Sol, qui omnia lustrat & intuetur, invenerit historiam, circa cujus examen occupamur. Imò apud ipsum Joh. Aventinum, judiciosum illum historicum Boicum, qui nihil omittit ex iis, quæ Germaniæ suæ illustrandæ serviebant, altum est silentium hujusce rei; Nec solùm apud Aventinum, verùm etiam apud ipsum Munsterum (qui anno 1550. primitùs cosmographiam evulgavit, intentus præ cæteris illustrationi suæ Germaniæ, congestis omnigenis quoque fabellis, atque narratiunculis in circulis jactari solitis) hujus commenti neque vola neque vestigium occurrit; probabili argumento, ne tum quidem adhuc, hanc fabellam ex antris superstitionis & ignorantiæ Monachalis protractam

fuisse. Quis verò sibi persuaserit, hosce omnes, quos è pluribus aliis ad partes vocavimus, destinato consilio præterire silentio voluisse historiam, quàm frustrà quidam pertendunt, veluti cabalam quandam, continuata seculorum serie, viva narrantium voce propagatam fuisse. Etenim, si historici illi, quos speciminis loco produxi, omnes in scribendâ historiâ æquè exercitati fuissent atq; Corn. Tacitus, cui propositum erat non nisi res graves & serias in annales suos referre, quique lib. 13. Annal. c. 31. sic loquitur: *Nerone secundùm, L. Pisone COSS. pauca memoriâ digna evenêre, nisi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, quîs molem amphitheatri apud campum Martis Cæsar adstruxerat, volumina implere: cùm ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare*: forrè concederem, eos, narrationem hanc, utpotè minùs pertinentem aut ad Rempubl. aut ad usum politicum præteriisse: sed, cùm omnes fermè in eo toti fuerint, ut ea, quæ aut à raritate aut à monstrositate commendabilia erant, serviebantque præ aliis concitandæ admirationi, annotarent; næ, silentium eorum officit cum maximè illis, qui pro astruendâ hac narratione, acriter digladiantur. Argumentum hoc hactenus deductum, neutiquam exarmari potest per ea, quæ habet Erichius: varias quidem ἐνστάσεις adversus illud affert, sed quæ tamen parum impetus habent, ad contundendam ipsam illius vim. Nam *primum* argumentum quod opponit, dilutum oppidò: Neque enim sequitur, antiquos, & masculos illos Germanos, eximiis faci-

noribus

noribus propterea non fuisse insignes, quòd paucâ ex iis fuerint annotata: sed potiùs pauca ex heroicis eorum facinoribus nobis esse nota, quòd pauci ea ex συγχρόνοις annotarint. Quid verò hinc præsidii procurari potest narrationi non cohærenti, quæ, aliquot seculis, postquàm gesta esset à Scriptoribus nullo fundamento nitentibus annotata, & in acta historiæ relata est? Utroque pollice favemus illi, quasi axiomati ter maximi Joh. Gerhardi Vossii cap 4. artis historiæ: Res gestæ, sive narrentur, sive non narrentur, semper sunt gestæ ac propterea historia; Ad quod provocat Erichius pag. 85. at quis interim probaverit, verè illa gesta fuisse, quæ Hameliæ quasi gesta perhibentur? Hoc sanè colligi non potest ex iis authoribus, quos pro se adducit Erichius. Præterquam enim, quòd multis seculis pòst vixerunt, ampliùs suæ narrationis neque liquidum documentum, neque classicum testem adducere possunt, ut deinde liquebit. *Secunda* instantia haud majoris momenti. Concedimus libenter, multa ex antiquis historiæ monumentis (ut ipse contendit pag. 86.) variis casibus intercidisse, at, quis inde inferat, sive incendio, sive aquarum inundationibus, sive aliâ quacunque ratione, obliterata fuisse illa monumenta, quæ servire possent astruendæ narrationi, omni præsidio destitutæ? Hac ratione omnia sua commenta, & affanias (quæ sæpiùs risum magis quàm examen merentur) tutari possent Papani, dicendo periisse quidem monumenta Apostolica, in quibus consignata essent; interim traditione, (quam posteà distinctè

excutiemus) ad ſeros poſteros fuiſſe propagata. *Tertia* inſtantia (occurrit pag. 87.) magis quoque non ferit, atque quodcunque κωφὸν βέλος. Damus ſiquidem lubentiſſimè, à tempore Caroli M. uſq;, ad Petrarchæ ætatem, altam, & parum quin Ægyptiacam ignorantiæ noctem, univerſo terrarum orbi incubuiſſe; interim hoc quoqve certum eſt, Monachos, fabularum tùm quoqve in communi, tùm in ſpecie, fabulæ Hamelenſis architectos veritatem non minùs hiſtoriæ adulteraſſe, quàm illibatam S.S. Theologiæ ſinceritatem. Teſtis hîc omnium inſtar ſit *VValtranus*, in Apolog. de unitate Eccleſ. ante duo fermè ſecula *ſic ſcribens*: Poſtquàm moti ſunt homines ab oriente, receſſerunt à vero lumine, tunc adverſus Deum impietatis ſuæ turrim ædificarunt, tunc dogmatum ſuperbias confixerunt, curioſitate volentes non licitâ in ipſius cœli alta penetrare: & vocatus eſt locus ille Babel, id eſt, confuſio: quale myſterium iniquitatis nunc operatur per quoſdam qui dicuntur Monachi, confundentes Eccleſiam pariter & Rempubl. perverſo ſuo dogmate &c. qui ne pueros quidem vel adoleſcentes permittunt in Monaſterio, habere ſtudium ſalutaris ſcientiæ: ut ſcilicet inde ingenium nutriatur ſili quis dæmoniorum, quæ ſunt conſuetudines humanarum traditionum, ut ejuſmodi ſpurciriis aſſuefacti non poſſint guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus, qui dicit in Evangelio de talibus: Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui tuliſtis clavem ſcientiæ. Vos enim (inquit) non intratis, nec ſinitis introeuntes intrare &c. qui etiam Dei

tradi-

traditione contemtâ, alienas doctrinas appetunt, ut magisteria humanæ institutionis inducant. *Hæc ille.* Quod testimonium ex Authore, qui haud omnium manibus conteri solet, non potui non hîc exhibere. Si Monachorum grex ipsam cœlestem veritatem collutulavit, quis miretur, pro astruendis superstitionibus manum quoque admovisse historiæ, atque talia in eam retulisse, quæ patrocinandis erroneis dogmatibus serviunt? 4. Quid ad rem facit, quòd *quartò* contendit Erichius pag. 88. & 89. quòd Chronicon Conradi à Lichtenaw Abbatis Urspergensis desinat in anno 1229. Matthæi Parisiensis historia in anno 1250. Vincentii Bellovacensis Speculum historiale in anno 1244. & Martini Poloni Chronicon in anno 1278. Nam ne quidem in Paralipomenis Urspergensis, ad virum doctum & præ aliis diligentem referendis, verbo fit mentio hujus fabellæ: quæ & silentio premitur in Appendice Martini Poloni. Jam antea, Historicis, quos hîc nominat Erichius, addidimus Monachos Colmarienses, qui cùm minutias quasque in suos annales retulerint, nihil verò habeant de exitu puerorum Hamelensium, fidem illius narrationis tenui admodum tibicine niti, in aperto per hos, similesve authores. 1. Nec refert quosdam Continuatores ulterius fuisse productos, quàm ipsi vivendo & scribendo pervenerint. Sufficit siquidem Continuatorum fidem esse integram: historiam sacram à Samuele Prophetâ & Judice inchoatam, successivè varii ex Prophetis in libris Regum & Chronicorum continuarunt, nullus tamen propterea,

pterea, eorum fidem, tanquam continuatorum illius Magni Samuelis in dubium vocavit; quoniam constat eos ab eodem duce actos fuisse in omnem veritatem. Si pro fabulâ Hamelensi staret vel unus ex Scriptoribus Germanicis, qui ex fide dignis monumentis, reconditos patriæ historię thesauros, etiam annis aliquot pòst eruerunt, aliquid fidei ei inesse posset: Sed omnes, ut vidimus, etiam usque ad Munsterum tacent. Præter Autores, quos jam antea nominavi, occurrunt varii Scriptores vetusti, qui res Germanicas Germanorum idiomate sunt complexi, partim editi, partim inediti. Speciatim Chronicon Colonienſe, Chronicon Constantiense, Argentoratense Chronicon M. S. Chronicon quoddam excusum Ulmæ anno 1486 & alterum anno 1523 excusum Augustæ Vindelicorum. Nec tamen in omnibus hisce Chronicis, in quibus diversarum narrationum nugamenta plenis pelvibus, iis, qui credulí, apponuntur, ne γρὺ quidem invenire est, quod referri queat ad hanc narrationem. *quintò* & postremò pro se Erichius pag. 91. adoptat verba Celeberrimi D. Calixti Tr. de conjug. Cleric. p. 475. sic loquentis: *Si nullus Auctor nisi ἀυτόπτης vel rei gestæ σύγχρονος, fidem meretur, & quicquid ad nostram notitiam non nisi indicio scriptorum ducentis annis re gestâ recentiorum pervenit, incertum est; incerta erit potior pars universæ historiæ tùm ecclesiasticæ, tùm civilis.* Absit, ut nullos alios pro astruendâ veritate historicâ admittamus testes, quàm qui ipsi rebus gestis interfuerint! qui aliquot seculis pòst vixerunt, nobis quoque fide digni

viden-

videntur, modò cum judicio, (ut suprà innuebamus) ea monumenta excusserint, quæ astruendæ veritati sufficiunt. Quod an factum fuerit à conditoribus fabulæ Hamelensis, infrà liquebit. Interea (quicquid celebri quoque Theologo, cum quibusdam aliis, videatur) deploramus non minùs fatum Ecclesiasticæ, quàm profanæ historiæ; in eam irrepserunt mendacia sine numero, quæ dijudicari non possunt, nisi ab eo, qui in hac crisi longo usu exercitatus fuerit. Si Deo placuerit vitam prorogare, hoc aliquando volumine justo probatum reddemus. *Secundò* ita argumentamur contra vulgarem narrationem: Quæcunque narratio historica ea proponit, quæ omnem fidem excedunt, adversanturq; non minùs naturæ Dei quàm judicio omnium, qui unquam inter homines meruerunt censeri: illius fides jure summo in dubium vocatur. Atqui sic jure summo existimes de hac narratione historicâ. Ergò. Circa majorem propositionem haud necessum est, aliquid annotare, quòd omnia ad illam pertinentia, sufficienter in præcedentibus fuerint proposita: Minori astruendæ antequam manus admoveamus, ut pateat quàm liberales simus, duo concedimus. Nempe ex indultu Dei, habenas Diabolo laxantis, non minùs susurro magico muta animalia ductari, atque si ratione gauderent; quàm justo atque imperscrutabili ejusdem Dei judicio, terram vivos homines absorbere posse. Nam, quod ad prius, ut alia non

adducam exempla, vel unus Orpheus abundè o-ſtendit, ſubſidio carminum Magicorum, reverà autem cooperante Diabolo, feras & animalia à ratione aliena, duci variaque ratione circumagi poſſe. Equidem non ignoro Palæphatum lib. 1. de fabul. narrat. & Macrob. lib. 2. in Somn. Scip. c. 3. quæ narrantur de Orpheo feras quaſi ductante, ſic interpretari, quaſi homo verè πολιτικὸς ſingulari arte homines agreſtiores invitarit ad vitæ civilis cultum, atque Horatium ſic canere in arte poëtica:

Silveſtres homines ſacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.

Interim mihi potior ſemper viſa eſt ſententia Ægyptii cujuſdam, qui apud Pauſan. lib. 2. Eliacor. tradit Orpheum fuiſſe peritiſſimum rerum magicarũ, eumque cùm incantamenta adhiberet, ſecutas fuiſſe feras. Unde & Euripides Iphigeniam in Aulide ita loquentem introducit, cum patrem obteſtaretur, ne traderetur neci verſ. 1210. & ſeqq.

O Pater, ſi orphei facundiam haberem,
Ut poſſem in cantando perſuadere lapidem,
ut me ſequeretur,
Et demulcere verbis, quos vellem,
Huc veniſſem.

Nec ab hac ſententiâ abhorret Plín. lib. 3. nat. hiſt. c. 1. quando perhibet orphea è propinquo (h. e. è Thraciâ) in Græciam magica ſacra intuliſſe. Neq; enim Thracia à Magiâ immunis fuit, uti vel ſolus Xamolxis, à Thracibus pro Deo coli ſolitus, fidem facit, quem Magiæ conſultum fuiſſe, non ſolùm in-

innuit Diog. Laert. in proœm. hist. philosoph. verùm etiam Plato in Charmid. Xamolxis autem hic, Pythagoræus erat, testibus Strabo lib. 16. Geogr. & Diog. Laërt in vita Pythag. eoque nomine, multò magis, velut Magus suspectari meretur: siquidem teste eod. Laërt: *Samius senex non modò magiæ studiosus, verùm etiam quàm peritus fuit*; atque ne quis ratione Pythagoræ dubitet de fide Laertii, Varro Romanorum doctissimus apud Augustin. lib. 7. de C.D cap. 33. testis est, hunc ipsum uti consuevisse Necromantiâ; quomodo & Plin. lib. 24. nat. hist. c. 17. perhibet Democritum & Pythagoram Magiæ studiosissimos fuisse. Quæ quanquam hoc loco quasi parerga videri possent, à nobis nullam aliam ob causam adducuntur, quàm ut evincamus Orphea Thracem, exemplo popularium Magiæ vacasse, subsidioque nefariæ & abominandæ disciplinæ, feras haud aliter ductasse, atque si ratione præditæ fuissent. Quomodo & Pausanias jam antea citatus, in Bæoticis narrat, hunc eundem Orpheum, cùm graviter morte conjugis Eurydices afficeretur, iviisse Aorrhum in Thesprotidem, atque vi carminum Magicorum conatum fuisse ab inferis revocare, hanc ipsam, dudum defunctam. Redeundo eo unde deflexeramus mentione Orphei; pro confirmando nostro argumento, ulteriùs dicimus, licet concedamus libenter, per Magos, subservientibus in speciem carminibus, ductari variâ ratione feras posse, fidem tamen excedere, quòd insontes pueri susurrorum Magicorum numeris effascinati, pariter à terrâ absorpti fuerint. Novi-

mus

mus equidem ex historiâ Biblicâ, Corachum, Dathanem & Abiramum vivos absorptos fuisse, à terrâ cum suis familiis, in quibus dubio procul infantes quoque fuerunr. Num. 16. Similiter Trophonium Delphici templi expilatorem, itemque Baronem & Amphiaraum spirantes unà cum curru terram subiisse, atque Æneam Sylvium historiæ Bohemicæ cap. 15. referre, quòd Drabovitia flagitiosa Bohemiæ Regina pariter à terrâ hausta fuerit; at quis unquam vel legit, vel fando audivit, tantum potestatis Diabolo à Deo concessum fuisse, ut insontes pueros, eò quòd parentes difficiles fuissent in mercede iniquâ & modum excedente solvendâ, vivos non modò sub terrâ, verùm etiam ad infernales sedes deducere potuerit? Nam ductore Diabolo ipso, pueros terram subiisse & pariter migrasse ad stationẽ Diabolo definitã, his fabulatorib. debet esse verisimile. Legimus quidem 2. Reg. 2. quadraginta duos pueros, eò, quòd Elisæo Prophetæ convitium dixissent, à duabus ursis discerptos fuisse; sed hi per ætatem doli capaces erant, atque tàm graves pœnas dederunt, eò, quòd Prophetæ, sive Dei ministro obstitissent, & inclementer dixissent, quales solitus est Deus quàm gravissimè castigare. Interim hic IPSE misertus est Ninives, tempore Jonæ Prophetæ, quod in eâ essent plures 12. myriadib. hominũ, qui non noverant discrimẽ inter dextram & siniſtram Jon. 4. vers. 4. vers. ult. per quos intelligi debent infantes, & pueri minores igne rogi, de quibus dicitur Deut. 1, 39. quod non cognoscant aut bonum aut malum: quos qui præsumserint lædere vel interficere, Deum, qui hoc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [114] - 110

nomine graviſſimè indignatur, vindicem experientur. Joel. 3,3. Mich. 2,9. Deus quippe ſingularem curam innocuæ ætatis gerit, atque ſpeciatim vetuit parvulos in urbium direptione occidi, Deut. 20,14. Concedimus quidem utraque manu, complures pueros, ſæpè, præter ſuam quaſi culpam deplorando fato defunctos fuiſſe, neque neceſſum cum Erichio p. 81. & 82. exemplis dubiis atque incertis hoc probare; hoc ipſum evincunt vel ſoli terræ motus, integras ſæpè urbes evertentes. Certè, cùm imperante Tiberio, [vid. Tacit. 2. annal. cap. 47.] intra monumentum quaſi horæ, duodecim celebres Aſiæ urbes nocturno motu terris collaberentur, plurimi quoque infantes inter terræ penetralia ſuffoeati fuerunt; atque eversâ anno 1618. d. 25. Sextilis Pleuriſiâ Rhetiæ jucundiſſimâ urbeculâ, monte eandem opprimente, in cunis quoque, miſerandum in modum, puerorum turba periit. Ne jam dicam, per lanienas, expugnatis & coronâ captis urbibus, procuratum multoties quoque fuiſſe puerorum millibus exitium. At, uti hæc ſimiliaque referre convenit ad Dei judicia, quæ ſimilia ſunt abyſſo magnæ, juxta Davidem Pſ. 36,7. ita hæc planè diſſimilia ſunt, cùm in executione horum ſimiliumque Dei judiciorum, neutiquam intervenerit Diabolus, de quo, ut in pueros innocuos graſſante, hic ſermo eſt. Ne verò cenſeatur hoſtis generis humani, hoſce pueros ſecum abripuiſſe ad ſedes infernales, nova fabula pro ſtatuminandâ principali fabulâ eſt excogitata: quaſi ſcilicet fidem facientibus Annalibus Tranſilvanicis,

cis, pueri hi in extremum Europæ angulum, sive Transilvaniam sint abducti, quòd ibidem circa hoc tempus derepentè ignotæ linguæ pueri apparuerint. Ita censet cum pluribus Kircherus, in medio autem rem relinquit Erichius. At, cede illos Annales, qui hoc referant? Certum est, in mediâ Transilvaniâ receptum adhuc hodiè esse usum linguæ Saxonicæ, ac multos ibi inveniri, qui originem suam referant ad Saxones sive Germanos. Quis verò dixerit, eos oriundos esse hisce pueris, à Diabolo per tàm longum spatium transvectis? Patavii ad S. Laurentium sequens inscriptio legitur: *Valentino Grævio, aliàs Bacfort, è Transilvaniâ Saxonum Germaniæ coloniâ oriundo, quem fidibus novo planè & inusitato artificio canentem audiens ætas nostra, ut alterum orphea, admirata stupuit. Obiit anno MDLXXVI. Idib. Augusti. Vix. ann. LXIX. Natio Germanica unanimis, & test. execut. p.* Quis credat, integram nationem Germanicam frustrà fuisse, cùm hoc populari suo Epitaphium statueret, eique non venisse in mentem, hunc Saxonem origine Hamelensem fuisse? ut coloniarum subsidio regiones remotissimæ jam olim conjunctæ fuerunt, & idiomata perquàm distincta transplantata, imò ultra maria quoque promota; omninò è Saxoniâ, non procul admodum distantè, quidam, incertum tamen quo tempore, in Transilvaniam proximamque Hungariam demigrare potuerunt. Quamvis & dicere liceat cum Gislen. Busbeq. Epist. 4. legat. Turc. cis- & Trans-Albianos Saxones, à Carolo M. in Transilvaniam, usque ad Tauricam Chersonesum traductos fuisse.

Quod

Quod & calculo ſuo probat Ant. Bonfinius dec. 1. rer. Ungar. lib. 9. quo loco cùm egiſſet de fatali illo prælio, quo Carolus M. Saxones fregit, hæc ſubjicit: *Vnde non ſolùm abducti obſides, principum filii: ſed ut eorum vires honeſtiùs extenuarentur, multæ quoq; ex his in Daciam, Pannoniam diverſasq; regiones deductæ coloniæ, quarum adhuc innumeræ Sarmatiam, ulterioremq; Daciam incolunt.* Certè Carolum M. eoſdem Saxones in Franciâ quoque tranſtuliſſe teſtes ſunt Aimon lib. 4. c. 94. Paul. Æmil. lib. 11. Saxon. c. 22. & lib. 6. c. 19. Niſi ſimpliciter quis ſtatuere velit cum Thuano, Saxones finibus ſuis egreſſos, deveniſſe jam olim in Tranſilvaniam. Verba ſcriptoris occurrentia in veſtibulo lib. 2. hiſt. hæc ſunt: *Iidem Saxones orientem verſus veteres fines egreſſi, Boruſſos & Tranſilvanos, qui hodiè appellantur, Germanicè loqui docuerunt.* Perginus ad *tertium* argumentum quod ſic proponimus. Narratio quæ nititur principio per omnia falſo, pluris non debet fieri quàm trivialis quæq; fabula. At talis hæc ipſa eſt quæ circumfertur de pueris Hamelenſibus. Ergò. De propoſitionis indubitatâ veritate nullus ambigere poteſt. Quantum ad aſſumtionem, plerique ſi non omnes, qui hanc narrationem ultra rationem fabulæ æſtimare inſtituerunt, nituntur triplici potiſſimùm argumento, quo fidem ei apud imperitiores adſtruant. I. Quòd hujus rei memoria ſit annotata in Annalibus Hamelenſibus, ita Lonicerus, Cluverius, Cornmannus, Lætus, aliique. At quis annales illos condi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [117] - 113

dit? quis inſpexit? ubi aſſervantur? Hodiè nuſ-libi eos inveniri poſſe, neque manuſcriptos, neque typis expreſſos, fateri cogitur ipſe Erichius pag. 73. Et, cùm hodiè nullum eorundem veſtigium ſuperſit, veroſimile eſt, neque olim quoque eoſdem extitiſſe? Quod deplorandum, quiſquiliæ librorum, eorum maximè, qui, dictante ſuperſtitione, à Monachis ſunt ſcripti, Libitinæ fuerunt ſubducti, intercidentibus interea, variosque caſus ſubeuntibus melioribus libris. Non licuit verò hiſce Annalibus ſimile fatum ſubire, quos mirum non eſt, hodiè non inveniri, cùm nunquam in rerum naturâ comparuerint. Papani Doctores, perquàm ſtudioſi in ſtabiliendâ ſupremâ Papæ poteſtate, eam aſſerere laborant ex Diplomate donationis Conſtantini Magni, de quo Paulus Langius dicit phraſi Germanicâ magis quàm latinâ in Chron. ad ann. 1404 de hoc *Curioſi Canoniſtæ magnum faciunt feſtum*, quod quamvis totum ſit confictum, extat tamen & hodiè legitur tom. 1. Concil. imò exhibetur à Gratiano diſt. 96. Hamelenſes verò Annales, laudari ſoliti pro aſtruendâ narratione Thuſcis libellis dignâ, nunquam in rerum naturâ fuerunt, & tamen ad ſuffragium vocantur, ut probent illud contigiſſe, quod quia nunquam factum fuit, à Scriptoribus probatæ fidei non eſt annotatum, de quibus cum ratione uſurpare licet illud Melchioris Cani lib. 11. Loc. Comm. c. 5. *Scriptores veteris ætatis non omiſiſſent, ſi ſciviſſent, ſciviſſent omninò rem, ſi fuiſſet.* 11. Qui fabulam veræ narrationis loco haberi volunt, hoc urgent quàm fervidè, ſi non impotenter

quo-

quoque, quòd Magistratus Hamelensis infelicem hunc puerorum suorum casum, vice Epochæ censere consueverit, atque in publicis rescriptis & diplomatibus ejusdem pro denotando tempore, meminisse. Sic Cornmannus, Lætus & plures alii. Cæterùm hoc neque ullo teste, neque ullo diplomatis judicio, neque ullo decreto Hamelensis Senatus probari posse, agnoscere cogitur ipse Erichius p. 108. & seq. qui hactenus frustrà sperat se per amicos indepturum esse diplomata huc pertinentia, quæ cùm nunquam in rerum naturâ fuerint, exhiberi quoque non possunt, neque ab Erichio, neque à quocunque alio: nisi fortè pro astruendo mendacio, liceat impunè quæcunque fingere, atque falsa diplomata loco verorum substituere. Meibomius pag. 132. in Bard. jam olim veritati manus dedit, atque ut virum candidum decet, fassus est ingenuè hanc fabellam de novâ Hamelensium Epochâ nihil veri complecti, quem sequitur quoque part. 3. Rerump. Hanseat. pag. 112. Joh. Angelicus Werdenhagen. Mirari verò satis non possum, quòd Erichius noster, excœcatus zelo pro plebejâ fabellâ, illud, quod ne cognosci quidem potest, ex Archivis S. P. R. Hamelensis comprobare nitatur ex inscriptione, quæ legitur in saxo quodam turris novæ, intra annum centesimum demum extructæ. Quid enim ad rem, quod ibi legatur?

Centum ter denos cùm Magus ab urbe puellos
Duxerat, ante annos CLXXII. condita porta fuit.

Largimur utraque manu, ante centum aut præter propter annos, hanc fabulam vice veræ hiſtoriæ, populi non ſolùm Hamelenſis, ſed vicinorum quoq; ore circumlatam fuiſſe, atq; aliquem ædilem improvidum, & veri incurioſum, diſtichum ejuſmodi ſaxo inſculpi curaſſe. Sed, an inde evinci poteſt, exemplo hominis male-ſani inſaniiſſe quoque Senatum Hamelenſem, atque peculiarem & inuſitatam Epocham (ab aliis vulgò Æram dictam) frequentaſſe? Privati, & ſimul ignoti hominis teſtimonio derogari non poteſt iis, quæ publicè recepta ſunt. III. Communis fama, in quam deinceps inquirendum fuerit, ad modum principii probatorii hîc quidem advocari ſolet, eamque tanti fecit Erichius, ut ſuo ſcripto Germanico p. 109. non dubitarit hanc latinam ſententiam immiſcere: Quæ per communem experientiam & notoriam famam à pluribus promiſcuè comprobantur, anteferenda ſunt iis, quæ ab uno atque altero, in contrariam partem afferuntur. Sed quis uſque adeò rerum imperitus, ut exiſtimet publicam quoque famam eodem loco cum liquida narratione habendam eſſe? Secundum Ovid. 12. met: Mixtaque cum veris paſſim commenta vagantur, Millia rumorum, confuſaque verba volutant &c. *Et fama ne tunc quidem, cùm aliquid veri aſſerit, ſine mendacii vitio eſt.* Tertull. apol. c. 7. Verùm ut loquitur Ovid. 9. metam.

——— *veris addere falſa*
Gaudet, & è minimô ſua per mendacia creſcit.

Et Marcell. l. 21. hiſt. c. 16. *Fama verò quæ mille (ut ajunt*

ajunt) *linguis rerum miserè exaggerat fidem.* Non equidem ignoro Antonium apud Ciceronem lib. 16. epist. ad Att. 8. dicere: *Non possum dissimulare, mihi famam quoq; quamvis sit falsa, magni esse.* Et Taciti vocem esse Agric. c. 9. *Haud semper errat fama, aliquando & eligit.* imò ipsius Ciceronis 2. ad Herenn. c. 8. *Fama temerè non nascitur, quin subsit aliquid.* Ac proinde Liv. l. 7. c. 6. sic loqui: *Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret: nunc famæ rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem.* Sed interim hoc novi, historicos plurima ex communi quasi fama referre, quæ tamen credi nolint, quemadmodum suprà ostensum est. Perpetuo verò hi rerum gestarum Scriptores operam dare debent, ne meritò in illos torqueri possit, quod habet Seneca lib. 4. nat. quæst c. 3. *Historici cùm multa mentiti sunt ad arbitrium suum, unam aliquam rem nolunt spondere, sed adjiciunt: Penes auctores fides erit.* Accurato examine opus est, quando ad rei alicujus, ut veræ, probationem, advocatur fama, sive communis rumor. Verè Quintil decl. 11. *In rumore, cujus probatione, cujus argumenta non habes, calumniæ genus est, primum credere. Fama sæpiùs originem trahit aut è falso aut ex fabulâ.* Siquidem secundum Sen. ep. 13. *Sæpiùs opinione quàm re laboramus*; cui errori cùm sapientes etiam expositi sunt, mirum non est *vulgus* obnoxium esse, quod secundum Tacitum 4. annal. c. 90. *vacuum curis & sine falsi veriq; discrimine.* Ab Horat. l. 1. ep. 1. *bellua multorum capitum* dicitur. Quare aliter fieri non potest, quin narratio, quæ ad illud, ut autorem pertinet, diversas facies induat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [121] - 117

atque, instar Chamæleontis, modò hunc modo illum colorem mentiatur. Fabulis ejusmodi cudendis, religionis prætextu, à vulgo Christiano, jam olim quoque peccatum fuit, atque mirari summoperè licet, quòd quidam inventi quoque fuerint ex iis, quibus præ aliis datum erat sapere, qui popularia hæc commenta, stylo in posterorum gratiam complecti voluerint. Convenienter *Canus* lib. 11. Loc. Comm. c. 6. (ex hoc capite etiam suprà quædam adduximus) Nostri plerique, (*ait*,) vel affectibus inserviunt, vel de industriâ quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solùm pudeat, sed etiam tædeat &c. Justissima est Ludovici querela de historiis quibusdam in Ecclesiâ confictis. Prudenter sanè ac graviter eos arguit, qui pietatis loco duxerunt mendacia pro religione fingere. Et *rursum*: Negare non possum, viros aliquando gravissimos in Divorum præsertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quâ in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt, quod vulgus sentiebant, non tantùm ea facilè miracula credere, sed etiam impensè flagitare. At insurgit adversus hæc Erichius, contenditque pag. 73. communem hanc famam propterea suspectandam non esse, quòd de seculo in seculum propagata sit; item vocando amplius ad suffragia MSS. Annales sui parentis, quòd hæc traditio quasi inter Hamelenses, de manu in manum ad hanc usque ætatem sit translata. Ad hoc pag. 74. patheticè argumentatur

tur à rumoris constantiâ, cùm secundum Ciceronem: *Parum firmamenti & parum virium habeat falsitas*; & juxta vulgatum verbum: *Nullum mendacium veteraſcat, aut ad ſenectutem procedat.* Quibus ut ordine respondeam, primò lubet ex Erichio quærere, unde ei aut cuicunque alii constet, hanc narrationem de funesto excidio puerorum Hamelensium de seculo in seculum propagatam esse? Certè, ut anteà quoque docuimus, nemo testari potest de iis, quæ ante suam ætatem gesta sunt, nisi ea cognoscat aut è senioribus adhuc superstitibus, aut ex historicis. Sed nullus afferri potest Historicus, nulla monumenta Hamelensia, quæ ante annos CL fabellæ, quam examinamus, vel leviſſimam mentionem faciant? nec puto Hameliæ, vel duos Seniores inveniri, qui liquidò dicere possint, quòd quæ cognoverunt è suis patribus, pariter à tritavis per patres ad se sint propagata: quod tamen requireretur ad hoc, ut citra hæsitantiam dici posset, historiam hanc de seculo in seculum propagatam esse, hoc est, à seculo decimo tertio usque ad seculum decimum septimum, quod adhuc currit. Quid quòd Senes præ ætate sæpè delirent, atque turbata phantasiæ somnia, velut res primâ suâ ætate gestas commemorent. Notum illud Senecæ in Oedipo:

Prima langueſcit Senum
Memoria, longo laſſa ſublabens ſitu.

Rationem reddit noster Arist: probl. 4. sect. 30. Secundò historiæ, quæ per plurima quoque secula, unanimi atque succedaneo Scriptorum consensu ad posteros propagatę sunt, falsæ esse possunt, quòd

errandi occasionem præbuerit unus aliquis fabulator, quem reliqui velut improvida pecora deinceps secuti fuerint. Exemplum unum aut alterum sit instar omnium. Martinus Polonus ad ann. à Christo nato 1139. affirmat, eo tempore obiisse quendam Johannem de Temporibus nominatum, qui vixerit annos 360. usque à tempore Caroli M. cujus armiger fuerit. Martini fidem quot non ex antiquioribus & recentioribus secuti; qui in suis Chronologiis & Annalibus hujus Macrobii meminisse solent? non potest tamen Polono accedere Scriptor judiciosus & serius Paulus Æmilius, qui lib. 5. de reb. gest. Franc. *sequentia habet:* Sub hoc tempus, *inquit*, obiit Joh. à Stampis, quem per errorem à Temporibus multi vocitant, ob diuturnam vitam: plus 360. annis vixisse eum faciunt. Sub Carolo M. meruisse, sub Ludovico Crassi filio decessisse, cùm interea nulla in tot motibus mentio ejus facta fuerit, nec latere ignorarivé potuisset ejus virtus, quæ specimen sui jam inde à Clarissimi Imperatoris ætate præbuisset, libentiùs crediderim eum militasse sub Carolo Simplicis Nepote, qui ad Carolum M. originem suam retulit. nec 360. sed 160. circiter annorum vitam ei contigisse, id quod etiam consenescente mundo, magnum & memorabile sit. *Hæc P. Æmilius.* Nec solùm ita censet Æmilius, verùm cum eo quoque Joh. Tilius in Chron. ad ann. 1138. qui addit, se lustrasse historicum illius ævi, qui cùm minutissima quæque persecutus fuerit, non tamen hujus rei, parum quin prodigio similis, meminerit. Martinum Polonum autem

autem mentiri, aliunde si probari non posset, vel hinc evinci deberet, quòd à quo scriptum est à Mose Ps. 90. *Dies nostri LXX. anni, aut ut valentissimi simus LXXX.* aliquis ostendi non possit, qui definitam & ordinariam illam vivendi periodum CC. annis excesserit; ne quidem contrarium suadentibus tabulis censoriis, exemplisque à Phlegonte Tralliano in commentario de Longævis, allatis. Et, ut idem ex altero quoque exemplo pateat, de Winifrido, sive Bonifacio primo Moguntinorum Archiepiscopo, qui non ex historicis testantur, quod fuerit primus per Germaniam atque Frisiam Apostolus? At omnes hi, si ad primum authorem referenda fuerit narratio, resolventur in Wilibaldum, Bonifacii è sorore nepotem, atque primum Eichsterensem Episcopum; ex quo ut Serarius Jes. in Mogunt. hist. describere laborat Bonifacium; ita hic ipse Wilibaldus editus primò à Canisio, non solùm nimis cultus est pro seculo, quo vixit, verùm multoties quoque confligit cum Anonymo suo Epitomatore, edito à Surio tom. 3. ad diem 5. Junii, itemque cum Hubaldo sive Hugbaldo, quem quamvis Possevinus in Appar. contendat fuisse σύγχρονον Bonifacio, centum tamen & quinquaginta annis demum pòst, vitam illius scribere potuit, ut accuratè observat Voss. lib. 2. de hist. lat. Nec Bonifacium in terras jam dictas primitùs Christianam religionem intulisse, sed puritatem illius Anti-Christiani fermenti lenocinio subdolè adulterasse, patet ex adversariis illius, qui pro retinendâ Orthodoxiâ strenuè se eidem opposuerunt, ex quibus præ aliis ab Aventino

lib. 3. hist. Bojor. commemorantur: Gebolibus, Clemens & Sampson Scoti, item Adelbartus Gallus, Sidonius Laureatensis, & Vergilius Salisburiensis Episcopi, quos quanquam Bonifacius apud Zachariam Papam traduxerit ut numarios, avaros, libidinosos, sacrilegos, peculatores, & temulentos; ipsi tamen sustinuerunt Bonifacio in faciem resistere, eumque notare, tanquam mendaciorum autorem, legis atque pacis Christianæ turbatorem, corruptoremque, quemadmodum Aventinus jam dictus observavit. Atque in otis, quas erroneorum dogmatum fæcibus Bonifacius inquinavit, ab hoc Papæ Apostolo, non tàm gentiles sive paganos, quàm ex ipsius mente hæreticos fuisse subversos, plurima exempla docent: V. C. sic oppressi ab eodem in Thuringiâ commemorantur hæretici, apud Serrarium Jesuitam lib. 3. rer. Mogunt. notat. 22. pag. 775. idem de profligato hæretico in Bavariâ, & falsis pravisque sacerdotibus dimotis per eundem Bonifacium, fusè agit eodem lib. notat. 28. p. 496. & seqq. Ne dicam, Romanam Synodum, sub Zachariâ Papâ probasse sententiam Bonifacii, de hæreticis ab eo in Germaniâ damnatis. Acta post Baronium exhibet loco dicto Serarius p. 384. & seqq. Plura in re manifestâ & historiarum studiosis quàm exploratâ, ne adducam, historicos complures sæpè falli, dum alii aliorum errore ducuntur, vel ex eo, quòd Bodinus habet Meth. hist. c. 4. liquere potest, ubi testatur viginti propè historicos scripsisse, Carolum Ducem Aureliorum ob læsæ Majestatis crimen Lutetiæ supplicio affectum,

cùm

cùm tamen conſter, (*inquit idem*) eum anno pòſt trigeſimo, quàm ab Anglis captus fuiſſet, in Galliam rediiſſe, & feliciter obiiſſe. At ut plenè Erichio ſatisfiat, dico ſecundò, eum ſolis niti conjecturis, quando contendit, hanc hiſtoriam, velut traditionem inter Hamelenſes de manu ad hanc uſque ætatem translatam eſſe. Nam, ut jam antea cæpi dicere, cùm non conſtet ei (hiſtoriæ ſiquidem ſilent,) quænam ante tria ſecula de hac hiſtoria Hamelenſes ſenſerint, conjecturam ſuam loco rationis, ſive argumenti credulo lectori propinat. Quando verò traditionem vocat hanc ipſam fabellam, oſtendit eam deſtitui ſubſidio hiſtoriæ. At traditio, antiqua quoque, ſi rationi non fuerit conſona, falſi jure merito argui poteſt, illiuſque ratione quivis, qui veri modò ſtudioſus, cum *Bernardo* dicere poteſt *ep.* 174. ad Cler. Lugdun. *Ipſe mihi facilè perſuadeo, ſcriptis talibus* (traditionibus talibus) *non moveri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa inveniri favere authoritas.* Certè ipſe Baronius, conſiderans traditiones, quæ citra ſubſidium rationis de Virgine Mariâ, atque pueritiâ Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti circumferuntur, eas vult eſſe pias, & multorum ſcriptis receptas, tom. 1. Ann. ad an. 48. ſect. 10. at, qualis coloris ea cenſeri pietas poteſt, quæ ſibi blandiatur circa infelicem puerorum Hamelenſium exitum; aut ubi occurrunt ſcripta, ultra proximum ſeculum patentia, quæ vel verbo novitiæ hujus fabellæ meminerit? Fateor lubens hiſtoricos omni exceptione majores aliquando meminiſſe eorum, quæ per Senum traditionem quaſi

cognoverant. Unde ipse *Tacitus lib. 3. Audire me memini ex Senioribus.* Sed quales hi Seniores? qui ipsi rebus gestis interfuerant. Sequitur enim apud eundem paulo pòst: *Neq; occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad juventam duraverant.* Aliàs, idem Scriptor, has similesque narrationes tanquam vulgares fabellas recensere duntaxat solitus est. Ita legas *Annal. lib. 15. Nobis quoquo modo traditum, non occultare in animo fuit.* At, cedo mi *Erichi*, senes illos traditionarios, qui rem à se aut visam aut observatam tibi saltem juveni exhibuerint. Plurima ad speciem sæpius in thesi dicuntur, usque adeò, ut vero simillima videantur; quæ si sigillatim in hypothesi distinctè expendantur, plurima non solùm dubia, sed falsa quoque circa se habere deprehenduntur. Quartó velim Erichium meminisse plurimum interesse inter historicos. Ex iis quidam similes Platoni sunt, de quo falsè admodum J. C. Scal: alicubi scripsit, quód omnia crediderit tanquam vir bonus, solitum talibus, citra examen accuratum, vera falsis miscere. cùm serii & graves historici in omnia penitissimè inquirant, atque hoc solum curent, ne quid falsi unquam Lectori suo propinent: Eoque tales ut plurimum à communi sententiâ recedunt: interim eo nomine sunt suspiciendi, eorumque authoritas, licet singularis, communi opinioni longissimè præferenda est. Quis non ex scriptoribus Romanis, Camillum non modó liberatorem urbis Romæ celebravit, verùm etiam per eundem extortum Gallis aurum fuisse, per obsessos in Capitolio jam oblatum,

Gal-

Gallos verò ipsos internecione deletos, memoriæ tradidit? Vid. Liv. lib. 5. Plut. in Camillo. Flor. l. 1. c. 13. Aurel. Victor de Viris Illustr. Et tamen Polybius scriptor inprimis gravis, veri studiosissimus, ac proinde quantivis pretii, lib. 1. c. 6. Gallos, percusso pro arbitratu suo fœdere, incolumes domum rediisse testatum fecit. Ac neque aurum Gallis per Camillum eripi potuisse, suâ authoritate firmat *Sueton. lib. 3.* ubi hæc lego: *Drusus hostium duce Drauso cominùs trucidato, sibi posterisq; suis nomen invenit. Traditur etiam pro prætore ex provincia Gallia retulisse aurum, Senonib. olim in obsidione Capitolii datũ: nec, ut fama, extortum à Camillo.* Annon fidem hîc adhibebimus potiùs Polybio, scriptori præ cæteris judicioso, & Suetonio Tranquillo, qui disertè profitetur, se communi famæ obviam ire, quàm Scriptorum turbæ, quod vix videatur verosimile, aurum jam libræ impositum, à superveniente commodum Camillo, inhianti Gallo fuisse præreptum? Nam si præreptum Gallis, rediisset jam Camilli ævo ad priores suos dominos, sive Romanos, quomodo Drusus anno demum præter propter ab V. C. 671. illud restituere potuisset? Historicus ut judiciosè cujusque rei gestæ momenta examinare debet; ita indiget quoque judicioso Lectore, qui sciat expendere, quantum æra lupinis distent. Judiciosus pariter historicus, nihil ex iis quæ acciderunt, (modò interfit posteriorum, ea nosse) reticet. qui verò historiam Homeri exemplo præsumsit fabulis ornare aut implicare, multa ex rebus gestis, in vulgus aliàs notis, silentio præterire potest. Cæterùm

terùm dum Scriptores hiſtoriæ ſuæ fabulas admiſcent, eam totam ſuſpectam reddunt, niſi præfati antea fuerint, ſe fabulas relaturos, quas ad lectorem ſuum oblectandum, quidam etiam ex antiquis hiſtoricis, veris narrationibus adjeciſſe videntur. Convenienter *Strabo lib. 1. Geogr. ſuæ ita per interpretem ſuum* loquitur: Ne prosâ quidem oratione ſcribentibus animum advertimus, multa narrantibus ſub hiſtoriæ ſpecie, niſi fateantur ſe fabulas admiſcere non ob verorum ignorantiam, ſed delectationis causâ monſtra & alia, quæ eſſe non poſſunt fingentes. Videntur autem vel maximè ignoratione ducti de obſcuris & ignotis, tàm probabiliter fabulari. Theopompus fatetur ſe in hiſtoriâ fabulas narraturum, rectiùs quàm fecerint Herodotus, Cteſias, Hellanicus, &c. *Hactenus Strabo*, ſcriptor gravis, judicioſus, & proinde æſtimandus præ aliis. Conſulantur amplius ea, quæ parte priori ſunt propoſita, de fabulis atque ſcriptoribus fabuloſis. Et hæc quidem ſunt illa, quæ potiſſimum ad infirmandam minorem propoſitionem tertii noſtri argumenti tùm ab Erichio, tùm ab aliis vulgò adduci ſolent, quibus quàm leve momentum ſit, facilè conſtare poteſt illis, quibus datum eſt ſapere. Quòd verò fautores hujus fabulæ, aliis adhuc præſidiis videantur inſtructi, quòd hoc agere inceperimus, ea pariter quoque ſubverti debent. Atque primò inquirendum in fidem Inſcriptionum, quas ſub initium hujus Tractatus ex ipſo Erichio exhibuimus: quibus addere licet nummum à multis oſtentari ſolitum, in quo cùm repræſentetur

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [130] - 126

tur inauſpicatus puerorum Hamelenſium exitus; creditur jam olim per ipſum Senatum Hamelenſem, ad aſtruendam hujus rei fidem, cuſus fuiſſe. Cui argumento ut ſufficienter ſatisfiat, prius in genere quædam ad illud infirmandum afferam, deinde in ſpecie, atque ſecundum præſentem hypotheſin reſpondebo. Quod ad prius ergò, nihil eſt certius, quàm circa inſcriptiones ipſas, velut antiquas, multiplicem fraudem committi. Olim corpus quaſi earum vulgavit Cyriacus Anconitanus; cæterùm pleraſque illarum, utut ſpecioſo titulo condecoratas, fallaces eſſe, à pluribus jam diu notatum fuit, præ aliis à Franciſco Schotto lib. 2. Itinerarii Italiæ. Quid de quibuſdam quoque nummis ſit exiſtimandum, colligere eſt ex iis, quæ habet Joſeph. Scal. ad Chronicon Euſebii in quo p. 217. edit. Janſonianæ, ſequentia *lego*: Antiquarii dicunt extare nummum Hadriani cum capite radiato, & inſcriptione ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Ex alterâ ſuperficie ναὸν ἑξάστυλον. in medio Jovem cum fulmine in dextrâ, ſceptro & Aquila in ſiniſtrâ: ad dextram Minervam cum Mercurio, ad ſiniſtram Martem cum Venere, & duas alias ſpecies in gradibus templi ſedentes. Inſcriptio: ΔΙΟΣ ΝΑΟΣ ΙΕΡΟΥΣΑΛΗΜ. Ego ut uno verbo dicam, nullum talem nummum extare puto: aut ſi quem, eſſe ψεύδαχαραμα, & commentum impoſtorum. *Hæc Scal*: Utrorumque verò quà Inſcriptionum quà Nummorum, ſubleſtam ſæpè fidem eſſe, arguunt novi-

novitiæ Antiquitates Etruscæ, in quas suprà quoq; in parte generali hujus Tractatus digitum intendebam, & quas pro meritis excepit Leo Allatius. Ex iis bonus Inghramius restituere non modò, sed ut integros exhibere voluit sequentes historicos: Lidoum Fellinium, Lampridium Senensem, Antium Gredonium, Ennium Pandolium, Elbium Vulteranium, Mutium Moricomum, Lucium Volumnium, Aruncium Volusium, Alcum Filacium, Policratem Licinium Arretinum, Aulium Quintilium, Mecænam Cæcinam, Elbium Maurum, Aruntem Petronium, Cranum Maffum, Titum Aulicum, Aulum Moriconium, Aulum Flaccum, Lucium Arciarium, Lucium Velium, Ancum Cæcinam, Alium Dorium, Inum Pavium, Herculanum Maurum, Prosperum Archium, & ante alios Prosperum Fesulanum. Quos authores, si non ab Inghiramio, saltem ab illo, qui latitare voluit sub nomine Prosperi Fesulani, minus auspicato confictos fuisse, quivis, qui modo aliquanto diligentiùs eosdem excutere voluerit, mox animadvertere potest: Simili ratione egit Bernardinus Baldus, vir cæteroquin longè doctissimus, annis ab hinc fermè 50. evulgando suam quasi divinationem in tabulam æneam Eugubinam linguâ Etruscâ veteri perscriptam, simul abutendo operâ Marci Velseri viri cæteroquin judicio sissimi. Circa pictas fenestras & statuas, velut singularia monumenta insignis quasi vetustatis, pariter hoc seculo ut erratur gravissimè, ita solummodo notetur; (ne Theticè dum respondeo, ad hoc argumentum, æquo longius ex-

spa-

ſpatier) quod habet Æneas Sylvius *ep.* 120. Antè centum, (*inquit,*) fermè annos, & antè trecentis quadringentisque, non invenies qui per Italiam ſermonem habuerit terſum & lucidum. Sic pingendi ſculpendique accidit arti. Si ducentorum trecentorumve annorum aut ſculpturas intuearis, aut picturas, invenies non hominum, ſed monſtrorum portentorumve facies. Scribebat veró hæc Æneas, poſtea Pontifex Pius 2. dictus, circa annum à N. C. 1445. Quod eum in finem moneo, ut ſemper ratio habeatur temporis. Hoc veró certum eſt, non receptum fuiſſe feneſtras vitreas coloribus imbuere, ante annum à nato redemtore generis humani milleſimum & quadringenteſimum, ut aliàs alibi prolixè ζὺν Θεῷ probabo. Deveniendo ad hypotheſin, primó dico, nec Erichium, nec quenquam alium, hactenus talem Inſcriptionem adduxiſſe, quæ ſit σύγχρον@· ipſi rei geſtæ. Omnes, cùm fabula jam invaluiſſet, atque in vulgus recepta eſſet, à veri minùs curioſis ſtatutæ fuerunt. Picturis veró & inſcriptionibus, quæ comparent in templis Monachorum, quis aliquid deferat? Paſſim ibi notatur Georgius Cappadox, qui tum vixit, cùm Homericus Utis Chimæris & Centauris jura diceret. Fatetur ipſe Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum d. 23. Aprilis ſic *ſcribens*: Pictura illa S. Georgii, quâ effingitur eques armatus, qui haſtæ cuſpide draconem interficit, juxta quem etiam virgo poſita, manus ſupplices tendens, imploret auxilium, ſymboli potiùs, quàm hiſtoriæ

ſtoriæ alicujus opinor eſſe expreſſam imaginem: in nullis enim quæ recenſuimus, S. Georgii actis antiquis quicquam ejuſmodi legitur, ſed à Jacobo de Voragine abſque aliquâ majorum authoritate eâ ad hiſtoriam referuntur, quæ potius in virtute illâ typum exprimunt (more majorum) provinciæ vel civitatis alicujus, quæ adverſus Diaboli vires tanti Martyris implorat auxilium. Idem de Catharinâ & Chriſtophoro, qui in Papatu ſancti habentur, ſolidè probavit noſter Rainoldus lib. 1. de Rom. Eccleſ. idololatria c. 5. n. 26. Theologus accuratiſſimus atque πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Et tamen in quoque fermè ſacello, hi ipſi ſuas ſtatuas atque imagines, cum inſcriptionibus vetuſtis habent? Quod de pictoribus & poëtis dixit Flaccus, quadrat in Monachos, quibus quidlibet cudendi ſemper fuit æqua poteſtas. Eoque pictura vitrea, reverà talis eſt, & fragile imò ficulneum ſolum argumentum ſuppeditat. Numus Hamelenſis qui circumfertur, ut cuivis inſpicienti patet, à fautore aliquo fabulæ, ante ſecula non ita multa cuſus eſt: atque majori precio in hac cauſa non eſt cenſendus, quàm numi (oſtenduntur illi quàm multi, iiq; diverſæ notæ) exhibentes commentum Sancti quaſi Georgii. Secundò exemplo Erichii plurimi argumentantur à temporis circumſtantia, quæ quòd definitè ſit expreſſa, exiſtimant inde evinci ſolidè, infauſtum puerorum Hamelenſium exitum veræ narrationis rationem habere. Atque ne quis ſcrupulum aliquem offendat circa temporis annotatio-

tationem, omnem operam navat Erichius p. 85. & seqq. maximè p. 90. & seqq. atque scrupulosè hoc agit, ne videantur historici inter se dissentire, minimasque circumstantias haud quaquam attendendas esse, quod potuerint per exscriptorum incuriam annorum numeri multis modis turbari, convenienter observat. Hoc argumentum sanè non contemnendum apud me plurimum valeret, si modò probaretur, definitas temporis circumstantias narrationi quoque fabulosæ aptatas non fuisse. Agnosco lubens, verum esse illud Tariani orat: περὶς ἕλληνας: *Apud quos confusa & dissolutæ temporum ratio, illis nec historiæ veritas constare potest.* Eoque suprà, occasione decimi principii, historiam monui exigendam esse ad temporis circumstantias. Interim non omnis illa historia est vera, quæ ad temporis lineas quàm accuratè est exacta. Tempus quàm definitè quoque annotatur in historiis, quas constat fabulosas esse; nec tamen propterea eodem loco haberi debent cum veris & ἀξιοπίστοις historiis. Chronologiæ rationem diligentem habuerunt Inchiramii circa scriptores Ethruscos, (ad eos solos enim referendos esse illos, quos suprà per indicem annotavi, jamdiu est, quòd viri docti annotaverint) & tamen omnes hi Volusii Annalibus accenseri merentur. Exemplo historicorum è daustris, dum novas fabulas Jesuitæ cudunt, æque temporis rationem habent, atque Papa quando suarum Indulgentiarum valorem definit, qui non modò exigitur ad annos, menses, hebdomadas & dies,

dies, verùm etiàm ad horas. Et tamen ſubleſta fides horum patrum ſæpè non modò pellucet, verùm ſe apertè tum quoque prodit, quando temporis videntur quàm obſervantes fuiſſe. Aliàs, ſæpè quàm turpiter proſtituitur, quando eorum hiſtoriæ ad regulas temporis examinantur. Non poſſum non, poſterius hoc uno duntaxat exemplo teſtatum facere. Scilicet venerandi Societatis patres perſuaſum vellent Sereniſſimam Elizabetham Auguſtiſſimæ memoriæ Angliæ Reginam, fuiſſe Henrici IIX. ex filiâ nothâ neptem pariter & filiam, quod ut in vulgus credatur, Sanderus Jeſuita de Schiſm. Angl. p. 15. narrat Thomam Bolenum equitem auratum, in Galliam legationem obiiſſe, pro hoc ipſo Henrico, delectum autem Bolenum ad hoc negotium à Rege, ut ipſe liberiùs ejuſdem uxore frui poſſet. Regem porrò progenuiſſe Annam Bolenam, eamque poſtea, hac ratione ſibi notam in matrimonium accepiſſe. At calumnia hæc tempori & Chronologiæ planè repugnans, confundendis hujus ordinis hominibus, ſi quæ alia Jeſuitica fabula ſufficit; eò magis quod agnoſcat architectos, qui non pluribus quidem ſeculis pòſt eandem fabricati fuerint, ſed annis non ita multis ab exceſſu Henrici VIII. vivente adhuc Elizabethâ ejuſdem filiâ procuderint. Conſtat ſiquidem ex Annalibus Anglicanis Thomam Bolenum non ante annum Henrici Regis X. legationem illam biennalem iniiſſe. Æquè verum eſt, Annam Bolenam ante regnum Henrici in lucem editam fuiſſe, ſiquidem quando Henrico nupſit annum egit 25, agente

tum

tum Henrico annum regni XXIV. Cui rem fidem facit ipse Sanderus, agnoscit enim l.d.p.16, 17. &c. illam quindecennem in Gallias ablegatam fuisse, ibique ad tempus apud quendam nobilem educatam, postea transiisse in aulam regiam, deinde reversam in Angliam, ascitam fuisse in familiam ipsius Henrici. Atque hîc quidem fuit à servitio Catharinæ Reginæ, priusquàm de ejus repudio ageretur, quod nemo credat, Reginam (quæ mente constabat) admittere voluisse, si ejusmodi probris, quibus eam Sanderus gravat, notata fuisset. Postquam verò repudium agitari cœperat anno Regni 20. Rex anno 21. ad Annam animum adjecit, thoro tamen regio non sociavit ante regni annum 24. Quòd si autem priori Sanderi narrationi inhæreamus, Anna, quo tempore Henricus eam deperire cœperit, vix nata fuerit annos 9. at quis (qui modò ἀῤῥωσία τῆς διανοίας non laborat) existimet virum quadragenarium in puellam novennalem animum conjicere potuisse? Porro Henrico & Annæ Bolenæ anno regni 25 d 7. Septemb. nata est Elizabetha Regina: ut, si absente Thoma Boleno, secundum calculum Sanderi, nata fuerit Anna, annum certè 13. attigisse non potuerit, quando Elizabetham peperit, quam tamen annos 15. natam fuisse Sanderus agnoscit, priusquàm in Gallias trajecerit. Ex hoc uno exemplo, quibus sexcenta ejusdem farinæ adjicere liceret, cognoscere licet, quantum tribuere fas sit Jesuitæ, historiam eorum scribenti, quos adversarios sibi delegit. Digressio hæc

aliena videri posset, nisi inde judicare liceret de commenti hujus, secundum tempus, probè quasi consolidati, fide; cujus primus Architectus ideò fidem non meretur, utut temporis anquisitam habuerit rationem; quód illud referat ut verum, quod, prout posteà liquebit, Dei natura admittere non potest. Tertiò plurimi existimant fidem invenire Exodum Hamelensium puerorum, quòd hodiè adhuc ostendatur definitè atque distinctè locus, ubi ductore diabulo sedes inauspicatas subierunt. Locum hunc Erichius p. 97. & seqq. liberare laborat à variorum Autorum dissensu. Largior veró lubens inter fautores hujus commenti locum æquè certum esse, atque vulgus Papanum (quod præ superstitione parum quin excæcatum est) certum putat esse, hunc illum vè Martyrem (qui sæpè non fuit in rerum naturâ) in hoc aut illo sepulchro delitescere, aut hæc illave ejusdem ossa esse, quæ lucri ergo ostenduntur curiosis. Sacellum Mariæ Virginis ostenditur Laureti, sed fallax & mendax, ut egregiè Berneccerus peculiari libello demonstravit. Quid fabulosius historiâ S. quasi Ursulæ, & 11000. virginum, definitè tamen à scriptoribus earum iter exponitur, speciatim locus ad quem appulsæ sunt? Siquidem non modó Jacobus de Voragine legendâ 153. sic *scribit* de illis: *Ad portum Galliæ, qui Tieda dicitur, & inde Coloniam devenerunt.* Verùm etiam ipse Sigebertus Gemblacensis, historicus aliàs non contemnendus, in Chron. ad ann. 453. *ad portum Galliæ, qui Frida dicitur, & inde Coloniam appulsæ sunt &c.* Quis tamen

histo-

historiæ huic non cohærenti, & quam vatii multoties exploserant, aliquid tribuat? Quàm multipliciter quoque circa reliquias peccatum jam olim fuerit, testis potest esse Glaber Rodulphus (claruit temporibus Conradi II. & Henrici III.) lib. 4. suæ hist. c 3. sic *loquens*: Fuit homo plebejus mangonum callidissimus, ignoti tamen nominis & patriæ: Quoniam pro diversitatibus locorum, quærens latebram, ne agnosceretur, fraudulenter imponebat sibi vocabula, vel de qua foret provinciâ. Custodiebat quoque è tumulis, clanculè ossa evellens à cineribus nuperrimè defunctorum hominum sicq; imposita in diversis apophoretis, venditabat apud plurimos pro sanctorum Martyrum seu confessorum reliquiis. Hic verò post innumeras hujusce illusiones in Galliis patratas, perfugâ venit ad loca Alpium, ubi persæpè brutæ gentes inhabitant, habentes in arduis plurima domicilia: ubi nempe se Stephanum nuncupavit, qui aliás Petrus, aliás Johannes dictus fuerat. Illic ergó more solito noctu colligens â loco abjectissimo ignoti ossa hominis, quæ posuit in capsellâ & feretro, dicebat sibi angelicâ responsione revelatum fuisse, quem fingebat esse S. Martyrem nomine Justum. Mox quoque vulgus (ut se in talibus habere solet) ignarum quicquid rusticanæ plebis fuit, totum ad hanc famam confluit: pœnitet insuper, si non esset sibi morbus, quo curari deposcat; tunc ducit debiles, confert munuscula, pervigil tenet excubias, præstolans repentina fore miracula: quæ ut diximus aliquoties, permittuntur fieri â malignis spiritibus

tentatoriè, peccatis hominum præcedentibus: quod tunc procul dubio evidentissimè claruit. Multimodæ quippe membrorum reformationes ibidem visæ sunt extitisse, ac insignia pendere oscillorum multiformia. Nec tamen Moriannæ, vel Coticæ, seu Gratinonæ urbium præsules (in quorum diœcesibus talia profanabantur) diligentiam hujus rei inquirendæ adhibuerunt: quin potius conciliabula statuentes in aliquibus, nihil aliud nisi inepti lucri quæstum â plebe, simulque favorem fallaciæ exigebant. *Hactenus Rodulphus.* Quòd si in his, quibus religiosa quoque veneratio defertur, tám multiplex fallacia occurrit, iisque locus patrocinari non queat, ut immunia ab omni fallaciâ censeantur, quis concedat quoque fautoribus Hamelensis fabulæ, propterea illos non falli, quòd locum cum vulgo errabundo etiamnum hodiè ostendere possint, qui *Infernalis ostii* vicem olim exhibuerit. Videtur autem oppido falli Erichius, quando attendendo lapides, qui ad hoc antrum (horrendum magis quám illud Caci erat) hodié adhuc notari videntur, persuasum cupit, antiquos Germanos magis studiosos fuisse rei benè gerendæ, quàm propagandi memoriam eorum, quæ per virtutem præclarè gesserant. Contrarium siquidem cum ratione docere videntur Olaus Wormius c. 26. de literaturâ Runicâ, & Joh. Stephanius in Notis ad Saxonis Grammatici præfat: ubi ostendunt, antiquissimam rerum memoriam non chartis quidem, sed saxis atque rupibus insculpi consuevisse. Quartò confugiunt hîc multi (ad illos Erichius

chius p. 63. accedit) ad occultum Dei judicium, exercitum circa miseros pueros Hamelenses; quod dum attenderet Hannibal Nullejus, quondam Scholæ apud Hamelenses Rector, notante Erichio ibid in suo carmine hanc admonitionem addit:

——— Tibi cura sit unica, natos
Erudiisse tuos in pietate Dei.

At, quæ in thesi speciosè dicuntur, & prolixius (quàm factum fuit à fautoribus vulgaris fabellæ) deduci possent, hypothesi minus serviunt. Verissimum quidem agnosco illud Justini Martyris in Græcar. Quæst. confutatione: *Non oportet cogitationibus nostris metiri opera Dei; Nam supra mentem & sensum & rationem sunt opera Dei.* Interim tamen hæc parum juvare possunt patronos hujus commenti. Ne enim jam repetam illa, quæ suprà pro vindiciis secundi argumenti dixi, hoc attendi quàm diligenter velim, Dei judicia sic profunda esse ut simul sint Justissima. Testis est David *Psal.* 119. *v.* 137. *Iustus est Iehova, & rectum judicia tua*, id est, unumquodque judiciorum tuorum certum est, atque comm. 75. ejusdem Psalmi: *Scio Iehova, judicia tua esse justitiam, & quòd ex fide me afflixeris.* Cui Davidicæ phrasiologiæ, duorum Angelorum in Apocalypsi cap. 16. v. 5. 6. 7. δοξολογία consentit, quorum prior, post effusionem phialæ tertiæ exclamat: *Iustus es, O ille qui est, & qui erat, & qui futurus est*, (sive sanctus) *quòd hæc judicasti* (id est, plagas has iis immisisti) *eò, quòd sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, etiam sanguinem ipsis bibendum dedisti.* Posterior v. ex altari in hunc modum: *Etiam, Domine,*

gnime, Deus omnipotens, vera & justa sunt judicia tua. Quæ cùm ita se habeant, age in timore Domini, præsuppositis pariter iis, quæ supra annotata fuerunt, paulò distinctiùs attendamus ad omnia & singula, ponderando illa lancibus Sanctuarii. Ergò sic accidit: Hamelenses, ab aliquo tempore glires, ceu sorices sibi quàm noxios, atque prægraves penui & frumento experiebantur, incommodo hoc liberari non poterant, quæcunque etiam remedia adhiberent, usque dum quis ignotus sub hominis specie (dubio procul non albus sed ater) supervenire, qui pactus certam mercedem, promisit internecionem noxiorum animalium. Susurro verò magico cùm illos eduxisset oppido, atque profundo aquarum immersisset, pretium, quod stipulatus erat, solvere Hamelenses noluerunt, & quidem jure meritissimo. Ut enim non providerant, quibus armis gesticulator hic usurus esset adversus animalia nimis quàm noxia; ita, si prævidissent, dubio procul rejeciissent. Ubi verò cognoverunt Magum esse, atque præsidiis magicis animalia noxia fugasse, negando præmium, ostenderunt sibi displicere quod factum erat. Quid si verò eum in vincula conjeciissent? quid si Vulcano vivum consecrassent? quis arguere illos potuisset? Notum vulgare dictum, hactenus Scripturæ & communi Theologorum judicio consentaneum: *In malè promissis frange fidem.* Imò nota lex Dei Levit: 20, 6. *Anima quæ declinaverit ad Magos, & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, exscindam eam de medio populi mei.* Notum pariter

quòd

quòd Achazias Rex Israël perierit, quoniam spreto Deo vero in infirmitate suâ consuluerat Beelzebub Deum Accaron 2. Reg. 1 quodque Deus in Manassem, subjectumque illi populum graviter excanduerit, quòd Magos toleraſſet 2. Reg. 17. v. 17. Eoq; tantum abeſt, ut peccati ob denegatum præmium ſive Mago, ſive Magorum principi Diabolo, boni cives Hamelenſes argui poſſint; peccaſſent graviſſimè, ſi cognitis hominis incantamentis, mercedem ſolviſſent. Et tamen fingitur Deus ſanctiſſimus & juſtiſſimus, eo nomine uſque adeò indignatus fuiſſe, ut poteſtatem fecerit Diabolo, horum liberos deducendi ad Inferni profunda. Quare ſummoperè miror Dnn. Theologos, (quibus hactenus accenſendus eſt Dn. Erichius Paſtor Eccleſiæ) propiùs & preſſiùs hæc non expendiſſe. Dato verò dei quiſſe etiam graviùs cives Hamelenſes, an ideò liberi minorennes, æterno ſui exitio expiare debuiſſent peccatum parentum perſonale? Verbum eſt Ezech. 18. v. 20. *Filius non fert iniquitatem patris.* & Exod 32, 33. *qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Deut. 24, 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unusquisq; pro peccato ſuo morietur.* Reſpicitur ad hanc legem quando ſic legitur 2. Reg. 14, 6. *Filios autem eorum, qui occiderant, non occidit,* (Amaſias ſcilicet) *juxta quod ſcriptum eſt in libro Legis Moſis, præcepiſſe Iehovam dicendo: ne afficiantur morte pro patribus, ſed quisq; propter peccatum ſuum morte afficitor.* Non ignoro Deum zelotem eſſe, & proinde illum ipſum Exod. 20, 5. occaſione quarti præcepti ſic edicere: *Ego ſum Dominus Deus*

tuus, fortis, zelotes, visitans patrum iniquitatem in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: atque Mosen hoc ipsum repetere Exod. 34, 7. sed pariter novi, Theologos accuratiores, hæc ita conciliare, ut quamvis ratione labis originalis per parentes communicatæ, æternæ mortis rei fiant liberi, atque hi propter personalia parentum peccata, sæpè in hoc mundo sustineant afflictiones graves, simul ad tertiam generationes pœnas temporales plurimas; non tamen ob personalia parentum peccata præcipitari in Infernum, affligiq; pœnis æternis: nisi fortè per accidens, si scilicet fuerint imitatores parentum: atque sic promereantur denegationem divinæ gratiæ. Hi autem Hamelenses pueri, Diabolo, ut phonasco præcedente, propter præsuppositum quasi personale parentum peccatum (cujus ipsi consortes non erant) deducti fuissent ad Inferos. Certè non patitur justitia Dei. Rogo arbitrentur illi, qui nondum hactenus à se impetrarunt, ut inveteratum errorem exuant, simulque judicent, quantum momentum ab iis, quæ proximè dixi, secundo nostro argumento accedat? Quintò & postremò præter Erichium occurrunt multi, qui expendendo potestatem Diaboli, & quæ aliàs ab eo designata fuerunt, existimant hæc ipsa à Diabolo designari potuisse: speciatim, à viro egregio aliquando mihi exhibita fuit Bodini dæmonologia, monitusq; fui ex exemplis, quæ ibidem annotantur: procederem argumentando ad illa, quæ pueris Hamelensibus acciderunt. Sed hæc neque me, neque ullum veri æsti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [144] - 140

matorem justum movere posse, patebit ex sequentibus. Nam 1. respondeo, quando agitur de veritate alicujus historiæ, illius maximè quæ in dubium vocatur, non valere argumentum à posse ad esse, ut utar termino in scholis recepto. 2. Ita philosophandum est de Diabolo, ut de cane infernali alligato catenæ divinæ potentiæ. Occidere quidem voluit Jobum, sed ægrè tamen veniam consecutus est, illius duntaxat corpus affligendi. Ingredi non potuit porcos, nisi Christo prius annuente. Inde Augustinus lib. 7. de C. D. c. ult. de dæmonibus agens: *Non possunt* (inquit) *quod non sinuntur facere.* & lib. 2. c. 23. *Tantum possunt, quantum secreto Dei arbitrio permittuntur.* Videatur idem ejusdem operis lib 18. c. 18. Atqui cùm hocipsum, quod fingitur accidisse pueris Hamelensibus, adversetur (quemadmodum ostendimus dilucidè) Dei justitiæ; certò credendum est, judicem totius terræ, non voluisse uti Diabolo ordinario suo carnifice, ad exsequendum illud, quod cum suâ justitiâ subsistere non potest. 3. Quæ Bodinus & alii habent, de operibus tùm miris tùm crudelibus Diaboli, si exigantur ad illa, quæ proximè dixi, ultrò evanescunt.

PARS

PARS TERTIA.

De occasione fabulæ Hamelensis.

EXaminatâ hactenus Hamelensi fabulâ, atque simul protritis omnibus, quæ non modò ab Erichio, pro eâ asserendâ, peculiari Tractatu fuerunt proposita, verùm ὡς ἐν παρόδῳ etiam illis, quæ alii excogitarunt, ut popelli opinio in statu maneret. Proximè inquirendum est in ipsam fabulæ hnjus originem. Hoc enim certum est, omnem fabulam aliquid trahere de vero, atque nullum commentum usque adeò putidum per trivia jactari, quod non ad rei alicujus veræ similitudinem efformatum sit. Ipsa fabula actionis est imitatio, aut, ut linguâ suâ loquitur Arist: c. 6. de arte poët. τῆς πράξεως ὁ μῦθος μίμησις. Eoq; non est dubitandum, quin vulgaris narratio de exitu puerorum Hamelensium, allusionem qualemcunque mereatur, ad aliquid, quod verè accidit. Qui verò hîc optimè conjecerit, eum vatem perhibebo optimum. Occurrunt varia, ordine proponenda, at quæ tamen supra conjecturas æstimari non cupio. Vero fortè consentaneum, cladem quàm extraordinariam, atque insolentem pueris Hamelensibus accidisse. Eoque initio hoc subiit, annon (ut aliàs quoque factum fuit) pueri Hamelenses arma arripuerint, atque per speciem ludicri prælii, depugnati ad montem Koppenberch, cùm quidam ex iis fortè occidissent mortui, vir adultus idemque planus, qui

in

in Martem illos exstimulaverat, sese subduxerit, atque inde otiosos Monachos fabulandi occasionem captasse. Certè præcedenti anno fermè simile quid accidit in Hannoniâ Belgii provinciâ. Nam in annalibus Belgicis Ægidii de Roya, *sequentia* offendo: Anno Domini M CC LXXXIII. in Hannoniâ in quodam campo pueri multi convenientes, semetipsos provocaverunt ad pugnam, & verberibus à summo mane usque ad vesperam pugnaverunt. Tandem duorum primis mortuis, & multis vulneratis quieverunt. Cogitare quoque quis posset, per improvisum terræ motum, pueros ad collem jam dictum absorptos fuisse, quodque soliti essent aut in eo, aut propè illum ludendo se exercere, tibicine m cum fistulâ, narrationi huic à Volusii sociis, iisdemque historicis superadditum fuisse. Annis proximis in Germaniâ, similes strages per terræ motus acciderant. Sic legas apud Naucler. generat. 43. Anno Domini 1280. oppidum Rotenburch ad littus Neccari fluminis Sueviæ situm, quod nuper terræ motu funditùs corruerat, consilio & impensis Alberti Comitis de Hohenberch, jactis fundamentis, atque repositis ad pristinum decorem ædificiis, pulchrè admodum restituitur. Posset tertiò aliquis cogitare, fabulam hanc originem trahere à fabulâ, quam hoc tempore egit quidam Tilo Colup se gerens pro Friderico II. Imperatore, quâ ut multi in imperio sunt circumventi, ut etiam detrectarent obsequium Imperatori Rodolfo, ita fortè, cùm his annumerarentur Hamelenses, habiti fuerunt pro talibus

Im-

Imperatoris, aliàs legitimi, filiis, qui passi fuissent se artibus senis veteratoris, seduci eo usque, ut obsequium exuerint. Spangenbergius in Chronico Mansveldico ad annum à C. N. CIↃ CCLXXX. ita indicante Calvisio in Chronico, hac de re *scribit*: Tilo Colup senex & veterator astutus, fingit se Fridericum II. Imperatorem esse, & in Palæstinâ hactenus captivum detentum: sed à multis non recipitur. Novesienses tamen eum recipiunt & alii: tantæ fuit audaciæ, ut Rodolfo Imperatori mandaret, imperium deponeret, & privatus ad se veniret, & homagium faceret: sed à Rodolpho captus, tassus est, se olim in aulâ Fridericifuisse, & hinc ipsi tanta indicia, sed igne crematus est. Crantzius reticendo nomen hominis publicè infamis ad ann. 1289, sive, lib. 8. Saxon. c. 34. *hæc annotat*: Hoc autem tempore inventus est, qui se diceret Fridericum Imperatorem II. qui se clàm diceret suis subduxisse fastidio rerum, ut quietior viveret, & mortuum subdidisset, quem pro se vulgus hominum tumulasset, paucis conciis consilii sui, se per annos 30. peregrinatum, nunc revisere terras imperii. Tanta etiam proferebat secretorum indicia, ut quibusdam fidem faceret, præsertim Landgraviis Thuringiæ. Rodulphus Imp. cùm veritatem eâ in re compertam haberet, confessionem falsitatis expressit testimoniis. Fatebatur enim aliquando se in Cæsaris curiâ serviisse, inde prægnita sibi, quæ narraret. *Hæc Crantzius.* Crantzium exscribendo interpolavit & locupletavit Abbas Urspergensis ad ann. 1292. *sic loquens*: Inventus est, qui se diceret

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [148] - 144

ceret Fridericum II. quem Fridericum Holstuch quidam dixerunt, alii Tile Colup cognominant, qui se diceret, clàm suis subduxisse, fastidio rerum, ut quietior viveret, & mortuum subdidisse, quem pro se vulgus hominum tumulasset, paucis conscîis consilii sui, se per annos 30. peregrinatum, nunc revisere terras imperii. Tanta proferebat secretorum indicia, ut quibusdam fidem faceret præsertim Landgraviis Thuringiæ. Rodulphus Imp. cùm eâ in re veritatem compertam haberet, confessionem falsitatis expressit quæstionibus. Fatebatur enim aliquando se in Cæsaris curiâ servîisse, inde præcognita sibi quæ narraret. Et quoniam Colmarienses hunc impostorem admiserant, oppugnantur à Rudolpho, sed datis 4000. auri marcis, recipiuntur rursus in gratiam. *Hæc etiam ille.* En! ut suppositîtius hic Fridericus, sive potiùs graphicus impostor è Palæstinâ quasi veniens, ex amussim respondeat homini ignoto, qui Hamelienses gliribus quasi liberarit, per quos intelligo quæcunque incommoda atque onera, quæ quærulum vulgus ut objectabat Rodolpho Imp. ita personatus hic Fridericus adversus ea (facere hoc semper solent illi, qui res novas moliuntur) expeditum promittebat remedium; sed quòd indigeret satellitibus & militæ, iteratò fistulâ. (per eam intelligo os illius blandiloquum) canere instituit, florem que juventutis Hamelensis (non verò pueros, ut ignavi Monachi commenti fuerunt) post se traxit, qui, quòd ad montem aliquem cæsi fuerint, duce capto atque in carcerem conjecto, & sic quasi

disparente, commento reliqua hæc lacinia accessit de pueris ad collem quasi Koppelberch à terrâ absorptis. Quartò cogitare etiam aliquis posset, Hameliæ idem accidisse, quod Fuldæ in vicinià contigerat anno hujus seculi 36. de quo ita Jes. Browerus lib. 4. antiquit: Fuldensium: Anno 1236. (*inquit*) nocte natalis Domini, apud Fuldam Judæi impetu in molendinum facto, quinque pueris cruentâ cæde vitam eripuerunt, quâ ex re, in ultionem coorti cives, puerorum necem plurimo Hebrææ gentis fuso sanguine expiarunt, multosq; ex iis in carcerem abripuêre. Facinus hoc totâ Germaniâ sermonibus hominum percrebuit. Unde scriptor Anonymus, rem ita narrat ad annum 1236. *Eodem tempore apud Fuldense monasterium, Iudæi quosdam pueros Christianos, in quodam molendino, ut ex eis sanguinem elicerent ad suum remedium, peremerunt. Vnde cives ejusdem civitatis, multos ex Iudæis occiderunt, sed cùm puerorum corpora in castrum Hagenovæ delata & ibidem venerabiliter sepulta fuissent, Imperator tumultum qui tunc contra Iudæos ortus erat, aliter sedare non valens, multos viros potentes, magnos & literatos, ex diversis partibus convocans, diligenter à sapientibus inquisivit, utrum, sicut fama communis habet, Iudæi Christianum sanguinem in Paraseeve necessarium haberent, firmiter proponens, si hoc ei de vero constaret, universos imperii sui Iudæos fore perimendos. Verùm, quia nihil certi super hoc experiri poterat, severitas imperialis propositi, acceptâ tamen à Iudæis magnâ pecuniâ, acquievit.* Nisi fortè fabulator Monachus, idemque author Chronici Rhytmici, (in quo hæc fabula primitùs consignata

fuit

fuit) Fuldam in Hameliam transformarit. Potuit enim putasse, (quòd cædes hæc perpetrata dicatur in molendino) Hameliam illius indicium per sua adhuc insignia exhibere, quæ non minùs referunt molarem lapidem, quàm ipsa jam olim quoque (ut supra quoque observatum fuit) dicta fuit Quernhamelen. Certè nullum commentum apud ullum Authorem occurrit tàm absonum, aut ulla in Ovidianâ Metamorphosi notatur fabula, quæ non deceat Monachos, qui circa hoc seculum historiam scripserunt. Quintò oboriri posset alicui suspicio, ea, quæ circa hoc tempus filio viri principis (ingenii scentibus multis bonis) contigerunt, à fabulatore historico transformata esse in drama Fistulatoris Diaboli, pueros ad carcerem infernalem secum abducentis. Apud Georg: Fabricium fidum originum Saxonicarum scriptorem lib. 6 sequens historia à συγχρόνοις scriptoribus latiùs deducta, hoc verborum compendio *proponitur*: Anno M CC LXXXI. inter Albertum & ejus adolescentes filios maxima discordia exarsit. Filii memores injuriæ, quam Matri feminæ innocentissimæ pater intulerat, & quam mori in exilio coëgerat, nec ignari quid pater moliretur, ductâ in uxorem pellice, cujus filium evehebat; cùm ipse nullam pietatis rationem haberet: minimè esse impium judicarunt, patriæ tuendæ, suique defendendi gratiâ, furori & malitiæ resistere. Fridericus annum 16. excesserat: Dicemanus 15. jam ingressus erat, fratre nec animo nec virtute inferior. Cum Alberto faciebant Erfurdiani, Keffernbergius, Melber-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [151] - 147

gius, Glichensis Comites: cum Alberti filiis Suarceburgius, & Bichlingius, & tres fratres Slothemii. Excursiones hinc inde, latrocinio quàm bello similiores fiebant: Præsul quidam ordinis Teutonici, Alberti Consiliarius, capiebatur à Slothemiis: Fridericus Alberti filius incautiùs agens, incidit in Keffernbergium: à quo ad patrem Walburgum ductus, carceri tetro includitur: & nisi restitissent ministri quidam Aulici, adolescentem filium fame necasset, cùm annum totum transegisset in carceris sordibus, cumque ipsi ministri crudelitatem patris detestarentur, moti ætate atque virtute adolescentis, amicis quibusdam clàm adeundi eum faciunt potestatem: qui conniventibus Alberti familiaribus, Dominum suum cum ipsis custodibus eripiunt, atque in loca tuta deducunt. *Hæc ille.* Quòd Brunsuicæ ducatus, in quo Hamelia, respiceret & vicinam Thuringiam, & Misniam & Saxoniam, quàm facile non, casus juvenis viri principis, per inopinatam captivitatem, parum quin ab orbe semoti, fabulatoribus Monachis potuit dictare materiam dramatis? Quale jam ex antiquo fabulatore, eodemque Monacho, (simul & poëta Rhythmico) jam antea exposuimus, pluribus veri minùs curiosis, ejusdem narrationem qualibuscunque verborum emblematibus exornantibus. Clades virorum principum, si serios offendant subditos, pariter eosdem serio afficere consueverunt; imò ad commiserationem non minùs plebejos provocare, quàm sapientes & eruditos eodem sensu affectos, concitare ad depromenda ingenii pigmenta, si

si non abolendo, saltem oblitterando dolori servientia. Sextò seu postremò, sæpiùs cogitavi, & maximè probabilis videtur hæc conjectura, annon fortè pueri Hamelenses correpti fuerint morbo S. Viti, atque ad horrendas & pausam renuentes choreas arrepti, postea præcipitaverint se sive in paludem, sive in fluvium aliquem, saltem disparuerint. Quòd v. agrestis fortè tibicen (prout aliàs quoque receptum fuit) eorum inordinatos motus qualicunque harmoniâ laborarat corrigere, simulque spiritu amentiæ correptos ad sanitatem reducere; transformari potuit à Monachis fabulatoribus, seu in Magum; seu aliàs in planum, saltem seductorem, qui videretur quàm obfuisse illi, quos per eum emendatum iri agnati atq; propinqui speraverant. De hoc admirando morbo consulantur præ aliis Camer. cent. 2. Hor. Subciv. c. 81. Zwing. vol. 3. lib. 3. Theat. vit. hum. Schengkius lib. 1. observ. Medic. tit. de Maniâ, aliique. Videtur verò esse species naturalis Enthusiasmi, siquidem illos, quos corripuit, simul furiosos reddit. Nam post infatigabilem saltationem, sine intermissione ullâ non minùs noctu quàm interdiu institui solitam, ægrotantes in maria, in flumina, in præcipitia sese conjiciunt, aut in saxa & parietes violenter impingunt, ac simul semetipsos, nisi vinculis coërceantur, occidunt. Hunc verò morbum familiarem jam olim fuisse inferioribus Saxoniæ inquilinis, à pluribus notatum fuit, nec ignoravit Bodinus in methodo histor. c. 5. Quanquam verò libri Annales circa hoc seculum non meminerunt admirandi hujus morbi,

graſſantis quaſi circa Hameliam, aut ejuſdem quoque viciniam, inde tamen non infirmatur conjectura noſtra. Siquidem hiſtorici indignum potuerunt exiſtimare, mentionem facere morbi, licèt admirandi, quòd quaſi Endemius eſſet Saxonum genti. Deinde potuerunt ſoli Hamelenſium pueri, iiſque non omnes, ſed eorundem ſolummodò aliqui correpti fuiſſe hoc morbo, adeò ut curæ pretium non fuerit, hujuſce rei meminiſſe. Quòd enim ſingulos ſubindè conſueverit corripere, neglectis aliis (neque enim eſt morbus contagioſus) abundè patet in exemplo mulieris Baſileenſis, (meminit illius Platerus ut teſtis oculatus lib. 1. prax. Med. c. 3.) quæ cùm integro menſis ſpatio in publico loco ſic tripudiaret, Magiſtratus ei adjunxit viros fates, qui cum eâ alternis vicibus, quòd unus neutiquam ſufficeret, choreas ducerent. Interea hoc ipſum, ſolummodò velut conjecturam (ut & reliqua præcedentia) propono, nec ut Sibyllæ folium vendito. Dato verò nullam ex his conjecturis aliquid cognationis colere (fieri poſſe neutiquam diffiteor) cum narratione vulgari de pueris Hamelenſibus, non tamen propterea narratio (quam fabuloſam eſſe oſtendi) vera evadet. Mendaciorum architecti ſæpè uſque adeò vani ſunt, ut parùm ſæpè ſolliciti quoque ſint de veriſimilitudine, maximè ſi inciderint in homines nimium quàm credulos, in quibus ut plurimum judicium, & cum eo mens quoque vacillare conſuevit. Nec tamen credulí æquè in culpâ ſunt, atque conſarciatores aut mendaciorum, aut fabuloſarum narrationum,

qui

qui horum facilitate abuti solent. Inde ita apud Cic. Plancus lib. 10. fam. epist: Credulitas, (*inquit*,) error est magis quàm culpa: & quidem in optimi cujusque mentem facillimè irrepit. Eoque excusatos facilè habeo bonos Hamelenses cives, quòd quæ in annalibus Rythmicis Monachi domestici invenirent, velut historiam non modò reverà gestam, sed etiam ut oraculum receperint. Decepit illos existimatio Monachi, qui habitâ professionis suæ ratione, à cudendis mendaciis quàm alienissimus esse debuisset. Contigit hoc ipsi Ciceroni, viro aliàs circumspecto, unde lib. 1. ep. 4. sic scribit Qu. Fratri: *Nullum est meum peccatum nisi quòd iis credidi, à quibus nefas putaram esse me decipi.* Ut in vitâ communi sæpè est meditandum illud Epicharmi, toties ab eodem inculcatum Cicerone μέμνησο ἀπιστεῖν, ita idem meditari debet historiæ studiosus. Non debet esse credulus, sed scire non minus cum judicio πιστεύειν, quàm oportunè & cum ratione ἀπιστεῖν. De quo argumento legi velim Dionis Chrysostomi elegantissimum libellum à Joach. Camer: latinè conversum, & notis illustratum. Fortè subsidio quoque fuerit hæc tumultuaria mea diatriba, quæ si fortè in benevolum lectorem inciderit, qui eam sibi in veri investigatione servire posse confidat, eum rogo, mecum Deo gratias agat. Qui (ut tandem abrumpam) benedictus sit in omnia secula.


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 162, [155] - 151

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [156] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [157] - -


GWLB Hannover
035
036 828 556

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [158] - -

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XXIII

Cl: XIV. Vol: 31 b

2


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [159] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 162, [160] - -



Signatur: Leibn. Marg. 162, [161] - .